EX LIBRIS
JOHN FARQUHAR FULTON

YALE
MEDICAL LIBRARY

HISTORICAL
LIBRARY

(C)

Ex dono Amici Jani Auctoris
me Suis annumerat.

(H: J. Marquelyn
Med Raut in Acad Lugd Bat
Prof ord. 18 9/29 25

GERARDI VROLIK

CATALOGUS

PLANTARUM MEDICINALIUM

IN

PHARMACOPOEA BELGICA

MEMORATARUM.

ACCEDIT

INTRODUCTIO

AD

STUDIUM BOTANICUM.

AMSTELODAMI
Apud Ludovicum van Es.
MDCCCXXV.

Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
Open Knowledge Commons and Yale University, Cushing/Whitney Medical Library

http://www.archive.org/details/catalogusplantar00amst

PRAEFATIO.

Quum ante duodecim annos tertiam Catalogi plantarum medicinalium *editionem publicam in lucem mitterem*, Pharmacopoem Batavam, *publica auctoritate promulgatam et lege ſancitam, in vegetabilium enumeratione ſum ſecutus.*

Qui tunc temporis Batavorum deſiderio ſatisfaciebat Codex pharmaceuticus, postea, Hollandiae Belgiique Provinciis in integrum restitutis atque in unum Regnum coalitis, vix ſufficere poterat. Rex itaque Augustiſſimus, indefessa cura civium ſaluti prospiciens, voluit, novam Regno univerſo adaptatam concinnari Pharmacopoeam.

Haec nuperrime publicum in uſum miſſa, occaſionem praebuit atque neceſſitatem impo-

 ſuit,

ſuit, alteram curare Catalogi plantarum medicinalium editionem. Haec jam prodit in lucem.

Solas hîc memorari plantas, de quibus certo, aut ſaltem quadam veriſimilitudinis ſpecie conſtat, partes pharmaceuticas deſumi, vix opus est, ut indicem. Hoc unum dico, herbas asterisco (*) vel unico, vel pluribus notatas, ad illas pertinere, quibus mercatores nonnulli mala fraude utuntur, ut pharmaca turpiter depravent, maximo plerumque aegrotantium damno.

Quod ad methodum, quam in plantis disponendis ſum ſecutus, Linnaeana est, antiquior illa, qua in Claſſes viginti quatuor totum Vegetabile Regnum dividitur. Ne vero aliquis sibi in animum inducat, me improbare emendationes, quas in claſſium diviſione introducendas voluerunt recentiores botanici.

Status, quo apud nos verſatur res herbaria inter illos, quorum in uſum Catalogum huncce concinnavi, vix ſinebat, ut alia procederem ratione. Ne dicam, in libris plerisque botanicis, quibus hujus rei ſtudioſi utuntur, nul-

nullam omnino de mutationibus iſtis mentionem fieri. Quam ob rem in Introductione ipſa ego emendationes ſilere, conſultius duxi, quam verborum ambage Tyronibus nocere.

Generum characteres atque ſpecierum multos deſumſi ex praeſtantisſimo opere (a), quod celeberrimo debemus WILLDENOVIO, *non vero omnes, cum ex nostris et aliorum obſervationibus mutationes quasdam aut ad ſpecies, aut ad genera recte definienda paſſim attulerim.*

Patriam cujuscunque ſtirpis indicavi, ut pateat, ſitne exotica, vel nobis indigena; utrum in hortis uſui medico colatur, an vero aliunde peti debeat. Ubicunque locus natalis expreſſis verbis non fuerit memoratus, Belgium ſignificatum volui ſeptentrionale.

Linnaeanis officinarum ſubjunxi nomina, ut eo opusculum majorem habeat utilitatem; addi-

(*a*) CAROLI a LINNÉ *ſpecies plantarum*, Editio quatar, post Reichardianam quinta, *curante* CAROLO LUDOVICO WILLDENOW.

didi demum partes, quae dicuntur uſuales; illas vero ſolas, quas ſumma auctoritate ſancitas noverim. Magnopere profecto ſperandum foret, omnes nos cognitas habere plantas, e quibus pharmaca deſumuntur. Botanicorum indefeſſus labor nuperrime magnam adduxit lucem, omnia autem nondum ſublata ſunt dubia, ita, ut de multis originem ne divinare quidem poſſimus. Quae est ratio, cur de partibus illis, quarum origo plane est incognita, in hac ſerie plantarum nullam fecerim mentionem.

Scripſi
die 25 *Menſis Aprilis*
Anni MDCCCXXV.

IN-

INTRODUCTIO

AD

STUDIUM BOTANICUM.

Praecipuus, ob quem Botanica est discenda, ſcopus, in eo conſiſtit, ut plantae obviae poſſint ab omnibus aliis distingui.

Si pauca duntaxat exiſterent vegetabilia, vix aliqua artis, ſive disciplinae forma opus foret. Jam vero, cum in Regno vegetabili formarum, quibus ſpecies conſtituuntur, ſit ingens diverſitas et multitudo; cum porro illarum formarum affinitates ſint multiplices, unde facile inter ſe confundantur, neceſſe fuit, ut methodus inveniretur, qua plantarum agnitio poſſet eſſe eodem tempore et facilis, et certa.

Quid ergo *methodus* ſit *botanica*, quisque facile intelligit. Nihil nempe aliud est, niſi via, quam Botanicus ſequitur, ut plantas ipſe agnoscat et aliis agnoscendas exponat.

Ante omnia vero tenendum est, quid ad ejusmodi methodum requiratur. Primo quidem omnes intelligunt, quod cum hîc agatur de plantis numeroſisſimis agnoſcendis, ante omnia nomina exiſtere debeant, per

quae ipſa vegetabilia distinguantur. Dein requiruntur, cum tot recepta ſint nomina, quot ſint ſpecies plantarum, notae conſtantes et perpetuae, quibus illae plantae dignoscantur ab aliis. Notae enim cauſam ſistunt, cur distinguantur, cur determinato nomine deſignentur. Discernuntur itaque plantae per nomina, non propter nomina.

Notae illae, quibus plantae distinguuntur et ob quas earum diſcrimen notatur, vocantur *characteres botanici*. Characteres illi debent etiam ſignificari aptis terminis, certis et accuratis, deſumendis, ut ipſa rei indoles declarat, ex diverſis partibus, e quibus plantae agnoscendae conſtant. Altero ergo loco ad plantas dignoscendas requiritur, ut conſtituantur *termini*, apti ad exprimendum quam accuratisſime formam, ſingulis plantis propriam.

Partium haec expositio *technologia* est *botanica*, ſeu complexus terminorum botanicorum.

Cernitur itaque, non alio modo viam poſſe parari ad cognitionem botanicam, niſi praemisſa nominum plantarum, et terminorum technicorum expoſitione.

His autem praemisſis, nondum planta potest agnosci, nondum methodus botanica est condita; verum ſic jam propius ad methodum accedimus. Methodus quippe ejusmodi, quae et *ſyſtema* dicitur, ordo est, quem Botanicus ſequitur, ut plantam agnoscat. Hunc vero vel aptisſimis plantarum nominibus, adaequatisve terminis nequaquam conſtitui poſſe, facile quis percipit.

Hoc in ordine illam viam ſequi cogimur, quam natura voluit, qua non niſi pedetentim et gradatim ad om-

omnia, quaecunque fuerint, agnoscenda, progredi nobis conceditur. Hic ordo inprimis illud postulat, ut corpora agnoscenda secundum ipsorum formas aut convenientes, aut discrepantes, dividamus in *classes majores*, atque *minores*, hasque iterum subdividamus, donec tandem ad membra divisionis seu ad *subdivisiones* pervenimus, quae exiguae adeo sunt magnitudinis, ut junctim eodem tempore facile mente comprehendi possint.

Tam late patet naturae campus, ut, nisi per partes eamus, cuncta confundantur. Mens etenim humana, quamvis innumera possit complecti, si sensim et per gradus progrediatur, paucissima tantum tenet, si multa simul ipsi comprehendenda exhibeantur.

Imitandi ubique Geographi sunt, qui, Regni alicujus cognitionem desiderantes, non incipiunt, ab investigatione totius Regni, omniumque, quae in eo sunt, sed, qui Regnum primo dividunt in Dioeceses, Dioeceses in Provincias, Provincias in minores plagas. Dein singulas partes describunt, a minoribus incipientes in majoribus desinunt.

Divisio igitur Regni vegetabilis, simili ratione instituenda, *ordinem* sistit *botanicum* seu *systema*. Hujus propterea expositio pariter expositioni plantarum praemittenda erit.

Ex hisce jam omnibus facile liquet, quomodo sit iter ingrediendum, ut via aperiatur, quae ad cognitionem botanicam ducit. Primo loco *nomina plantarum* generatim sunt exponenda, altero loco venit *technologia*, tertio loco *expositio systematis*.

Nomina plantarum, ut omnium rerum, quarum nobis fit uſus, ſunt arbitraria, nec, niſi de ipſis conveniant omnes, rei certo determinandae inſervire possunt. Hoc in ſtatu verſabantur ſtirpium denominationes eo tempore, quo res herbaria in ſcientiae formam nondum erat redacta.

Veteres enim, et inter hos Graeci, qui rem herbariam primi excoluiſe existimantur, ita in botanicis procesſerunt, ut vires plantarum potius, quam legitimam cognitionem, ex qua nomen ſolum peti debet, posteros edocerent. Unde non mirum, etiam provecta Medicina post HIPPOCRATIS aetatem, THEOPHRASTUM, qui philoſophandi ratione inter botanicos longe praestitit, de conſtituendis plantarum nominibus, ex partium anatome, ne quidem cogitaſſe.

Ceteri in medicamentis indagandis, aut evulgandis curam maximam, in explicandis vero et deſcribendis plantis parum operae poſuerunt, et nomina earum non ex rei natura, id est, ex partium quarundam forma conſtanti et perpetua, ſed quaſi fortuito ex aliis rationibus, ad docendi discendique facultatem minus facientibus, imo plane ineptis, eruerunt.

Si hac via non incesſiſſent veteres Medici, ſed accuratius herbas, uſu ſalutari ſibi probatas, definiviſſent; ſi certas, nec mutabiles, earum exhibuiſſent notas, optime profecto conſuluiſſent posteris, et ſcriptis ſuis exoptatiſſimam ac ſolidam ad nos detuliſſent frugem, qua nunc, dum nomina vaga notasque valde incertas accepimus, fere prorſus caremus.

Omni procul dubio grave malum cenſenda est nomi-

minum illa varia applicandi methodus, ſive, cum uni eidemque plantae multa diverſa nomina imponantur, ſive, quod pejus est, cum unum idemque nomen diverſis plantis tribuatur (*a*). Magnopere hinc optandum fuit, ut ipſi Botanici inter ſe de nominibus plantarum convenirent, eademque ad certas regulas plantis, noviſſime inventis, aut aliis, male denominatis, imponerent.

Has regulas LINNAEUS demum propoſuit, quas magno ſcientiae botanicae incremento ab hodiernis receptas videmus, quasque in ſua *Critica Botanica* (*b*) cunctas enumeravit.

Omnes plantae Viro egregio duobus inſigniuntur nominibus, quibus ab omnibus, affinitate ſibi junctis, facile diſtinguuntur. Ut in vita ſociali quaeque familia ſuum gerit nomen, quo ab alia quavis discernatur, ſic quoque, post TOURNEFORTIUM, LINNAEUS ſtirpibus quibusdam nomen commune impoſuit, quo vel a proximis facile dignoscuntur, vocavitque nomen illud genericum. Quum vero quisque, ad familiam licet pertineat eandem, ab affinibus diſcernatur, oportet, et eo ſcopo proprium ſibi nomen acquiſiverit, pari modo vegetabilibus praeter nomen, quo genus indicatur, aliud fuit concesſum, quo ab omnibus, in eadem familia ſive eodem genere junctis, di-

(*a*) Vid G. CHR. OEDERI Elementa Botanicae, § 140. pag. 134 et ſeq. Hafniae 1764. 8°.

(*b*) Critica botanica, in qua nomina plantarum generica, ſpecifica et variantia examini ſubjiciuntur. Leidae. anno 1737. 8°.

dignoſci poſſint. Specificum nomen illud dicunt, plantamque, quae eodem ab aliis, ſibi proxime junctis, ſeparatur, ſpeciem nuncupant.

Contra ea haec nomina in plantis combinantur, ita quidem, ut, quod nobis priori loco ponitur, in vegetabilibus posteriorem occupet. Sic verbi gratia planta quaedam *Iris florentina* dicitur, non *florentina Iris*, ut ceterum deberet, ſi nomen familiae ſive generis postponeretur, ut in nobis fit. Non enim RUYSCHIUM vocant RUYSCHIUM FREDERICUM ſed FREDERICUM RUYSCHIUM, nomine familiae postpoſito. Liceat nobis, ut res eo clarior evadat, exemplum ex animalibus petere: *Leo*, *Tigris*, *Leopardus* aliaque animalia pertinent ad eandem familiam, ſive ad idem genus, quod communi nomine *Felis* dicitur, ſive *felinum*. Si jam aliquis hujus familiae ſocius binis nominibus, distinctionis gratia a reliquis, indicatur, non *Leo Felis*, aut *Tigris Felis* dicitur, ſed *Felis Leo*, *Felis Tigris*, et ita in reliquis.

Bina haec nomina, genericum atque ſpecificum, ſi invicem combinantur, illud conſtituunt, quod *triviale* appellant. Triviale igitur nomen illud est, quo naturae objecta vulgo innoteſcunt.

Haec jam de nominum ratione ſufficiant; ad ipſam terminorum technicorum conſiderationem tranſeamus.

Omnes artes et diſciplinae priva ſibi habent quaedam vocabula, vix niſi ab earum cultoribus intelligenda. Quis, niſi Anatomicus ſit, voces intelligit, quibus varii corporis muſculi, nervi, oſſa denotantur? Quis, niſi Noſologus, nomina morborum Sauva-

vageſiana aliave intelliget? idemque hoc in ceteris obtinet doctrinis.

Verum ipſa haec denominatio res est nequaquam facilis, vel ex lubitu dependens, ſummaque opus est in his vocibus cautela, ne vagae ſint, aut quidquam alieni ſub illis intelligatur, ut de nominibus plantarum mox monuimus. Requiritur enim, ut vocabulum idem ſemper atque conſtanter deſignet, et ejus ſignificatio diligenter et accurate determinetur. Eoque magis illud neceſſe est, ubicunque ea est disciplinae ratio, ut per ſuam naturam plurima requirat vocabula, ad varias res, circa quas verſatur, denotandas. Haec autem cum Botanicae ſit ratio, eluceſcit, quantum ad hanc exercendam valeat recta terminorum conſtitutio, et conſtitutorum cognitio perfecta.

Habet praeterea Botanice hoc prae aliis disciplinis, quod ſine artis terminis, non niſi longarum deſcriptionum ope pars aliqua plantae, ejusque ab aliis differentia deſignari poſſint; quod adhibitis terminis, rite determinatis, unico fit vocabulo. Ita verbi cauſa folium, quod Botanicis *repandum* dicitur, ſi aliis verbis deſcribere quis vellet, *folium* eſſet, quod ſinubus parum profundis diſtinguitur, ita ut diſcum non penetrent, ſed in margine tantum exciſi ſint. Sinus autum hi, tum etiam anguli eorum parum prominentes, ſemper rotundi ſunt, quod inprimis ad notionem diſtinctam folii repandi requiritur. Fingite *flores*, *fructus*, *nectaria* et reliquas plantae partes hoc modo deſcriptas, quot eſſent ſyſtematis, plus quam quinquaginta vegetabilium millia comprehendentis, volumina? Quis est, qui prae taedio tam lon-

ga-

garum descriptionum a studio hoc non deterreretur? Legat, qui de veritate hujus rei dubium movere sustinet, taedioſas illas descriptiones, apud veteres Botanicos pasſim obvias, qui rite instructis terminis nondum gaudebant, et vehementer fallor, nisi artis terminos prae hisce eligat descriptionibus.

Imminuendo huic incommodo operam quidem dederunt quotquot posteriori tempore meliorem Botanicen colendi methodum secuti sunt, cum varii artis termini sensim in hoc studio invaluerint. Obstabat tamen illud, quod unanimo consensu non satis essent sanciti, et ab aliis hoc, ab aliis alio sensu adhiberentur. Unde magna confusio exorta, et res admodum facta fuit necesſaria, ut pro quovis fere auctore botanico recteinte lligendo peculiare quoddam institueretur *Lexicon.*

Nostris vero temporibus et plerosque terminos fixos, et Botanicorum consensu sancitos habemus, quod LINNAEO potisſimum acceptum est ferendum. Horum autem terminorum ea est ratio, ut tyronibus eorum explicatio omnino sit necesſaria, quum sine hac explicatione paucisſimi intelligantur. Si quis enim evolvat, latinae et graecae linguae peritus, *Systema vegetabilium*, vel *Genera* et *Species plantarum* LINNAEI, videbit utique, hos libros lingua quadam, latinae graecaeque simili, esse conscriptos; plerasque voces, per se spectatas, etiam latinas esse observabit, sed quid in contextu significent ignarus, de illorum sensu nihil plane vel conjectura assequi poterit.

Nemo verbi gratia ex harum linguarum cognitione per-

percipere valet, quid ſibi velint *ſtigma*, *pericarpium*, *ſtamen*, *nectarium*; qua ratione differant *folium villoſum*, *tomentoſum*, *ſericeum*, *lanatum*, *barbatum*, *piloſum* cet.; quid *bracteam* a *ſtipula* distinguat et innumera alia. Multoque magis explicatione terminos illos indigere, qui vix latini ſunt, ſed fere barbari, quales nonnulli occurrunt, ſponte patet.

Horum igitur terminorum cognitio primum est, quod Botanophilo discendum incumbit. Sine hac etenim cognitione definitiones plantarum, quae horum terminorum ope fiunt, nullo modo concipere valet, adeoque nec plantam obviam in ſyſtemate reperire, aut cognoscere.

Ut jam apto nomine et bene inſtructis terminis planta ab omnibus aliis dignoscatur, maxime inſerviunt *Methodi*, vel, quae dicuntur, *Syſtemata Botanica*.

Qualia haec dicantur, ſupra jam monui. Pauca vero ſunt addenda, ut habeatur generalis eorundem notio.

Quippe non omnes eodem procesſerunt modo ſyſtematum conditores in ordinandis regni vegetabilis incolis. Alii ſequuntur *Methodum Naturalem*, alii *Artificialem* ſuam faciunt. Qui naturalem methodum ſequuntur, incipiunt colligendo ſpecies in genera, de ſimilitudine et affinitatibus earum unice ſolliciti. Pergunt pari ratione conjungendo genera in ordines, ordines reducendo ad claſſes, vel, neglectis ordinibus, ad ſpecies, genera, et claſſes omnia vegetabilia referunt; unde univerſum denique vegetabile Regnum, ipſa natura duce, compoſitum cernitur. Hi ergo progredi untur a ſectionibus inferioribus ad ſuperiores, et ſyſte

ſtema ſuum ad naturae ductum conficiunt, non vero naturam ad formatas ſibi ideas torquent, neque quae natura ſua, id est affinitatibus, maxime diſtant, in ſchemate ſuo proxime conjungunt.

Methodus illa certe omnibus reliquis praeferenda foret, ſi modo omnes Regni vegetabilis ſpecies, et intima ipſarum ſtructurae convenientia, a qua omnis virium ſimilitudo pendet, forent compertae. At dum utrumque hucuſque deſideratur, maximis methodi naturales vitiis laborant. Sume verbi gratia quodcunque placuerit genus, et videatur ſpecierum, in illo collectarum, ſumma ſimilitudo, adeo ut, quae ſpecies jure demi, quae addi poſſit, nulla in univerſo plantarum numero nunc quidem appareat, oportet tamen, ſi pronunciare cupias, genus iliud inter eosdem limites immutabile omni tempore permanſurum, certus ſis, nullam unquam, ne inter ignotas quidem, comparituram ſpeciem, quae ad unam alteramque iſtarum congenerum affinitate propius accedat, quam, quae ipſis est mutua. Nam ubi tales comparent ſpecies, et quot quotidie non apparent et detegentur olim, postulat Botanici officium, ut meliora ſequatur, migrabuntque nunc ex hoc, nunc ex alio priſco genere plantae quaedam, advenis ſociandae, in nova genera, aliquando in novos ordines, aut parandus erit noviter detectis locus in generibus priſcis horumque mutabuntur limites, quin videas interdum priſca genera, avulſis paulatim omnibus ſpeciebus, plane diſſolvi et interire.

Propoſitae difficultati accedit, quod omnium generum in ſyſtemate naturali variabilis complexus, limitesque non-

nondum conſtituti sint, quippe qui dependent a vario plantarum examine et quasi vario ſtatu, quem sibi quisque Botanicus, Regnum vegetabile perlustraturus, eligit; a vario de similitudine et dissimilitudine judicio, sive quis in hac potius parte ponat, sive in alia alius; porro ab uniuscujusque post perſpectas difficultates placito, quales, quotve notae singulares ad effingendum characterem, sive classis cujusdam, ordinisve, vel generis conjungendae videantur, quales quotve ſejunctae conſtituendis pluribus generibus ſufficiant; ab ipſo denique numero inventarum ſpecierum, et multitudine agnitarum formarum ſtructurae vegetabilis.

Quae ultima difficultas mihi quidem maxima videtur. Nam ſi prius cognitas haberemus omnes formas ſtructurae vegetabilium, quas tamen ſua complecti mente, ac ſatis accurate perſpicere homini nondum fuit concesſum, forent profecto fundamenta ejusmodi, quibus genera invariabilia ſuperſtruere posſemus. Usque eo vero maxime caducum erit aedificium, quod talem ſupra lapidem ſtruitur, usque eo nempe deficient notae sive characteres perpetui omnibus cujusdam classis ſtirpibus, nec in aliud quadrantes alius classis vegetabile. Nam quando in aliquam vere naturalem plantarum clasſem, quarum affinitatem primo ſtatim obtutu aperte agnoscimus, attentius inquiritur, obſervare licet, singulas notas, etsi in plerisque ſpeciebus obvias, plerumque tamen in una alterave ſpecie deëſſe; deficere ideo plerasque a mutua plantarum affinitate, paucissimasque tantum conſtanter in omnibus classis ſpeciebus, nulla excepta, reperiri, cumque dein eadem classis comparetur cum aliis naturalibus cognatis classibus, apparet, istas imperfectas notas ſo-

ciari in his classibus cum novis multis plantarum qualitatibus, de primo dicta clasſe ſeparatis.

Huic methodo, quam naturalem dicunt, opponitur artificialis, in qua plantae in ordines diſpeſcuntur, habita ratione unius alteriusve notae arbitrariae, ſed certae, conſtantis et facile obſervandae.

Cum requiratur, antequam progrediar, ut quantumpote, distincta detur notio et methodi naturalis, et methodi artificialis, liceat aliunde exemplum petere.

Idem hîc locum habet, quod in omni disciplina, imo ubivis, ſi aliquo ordine vel res, vel ideae disponantur. Verbi gratia tradenda sit aliqua disciplina; Chemiam ſumamus. Hic invenimus multa obſervata, a Chemicis facta, digerenda, ne omnia inter ſe confundantur. Jam vero alius obſervata disponit, affinitate vera et naturali sibi proxima, ut, verbi cauſa, quidquid ad *Aërem* pertineat, singulari capite exponat, dein alio capite quidquid ad *Salia*, alio quidquid ad *Metalla*, ad *Corpora Combuſtibilia*, et ita porro, comprehendat. Alii iterum Chemici, nulla ſervata affinitate naturali, intuitu peculiaris cujusdam notae arbitrariae, ſed conſtantis eadem illa obſervata disponunt. Exempli loco hîc inſerviant literae, quae dicuntur, alphabeticae. Hac in dispositione omnia illa obſervata, quae ad Chemiam pertinent, iisdem literis initialibus ſub eodem capite locantur. Ita jam *Aër*, *Aqua*, *Argentum*, *Aurum*, reliqua ſub eodem capite comprehenduntur. Jam vero posteriores illi methodum ſequuntur artificialem, priores naturalem.

Niſi, quatenus ad hanc methodum naturalem pertinet, locum haberent difficultates, modo memoratae, prae-

praeſtaret certe prior illa. Nunc autem posterior, inprimis in botanicis, erit praeſtantior, cum longe faciliori ratione tyrones ducat ad finem nostrae artis, qui verſatur circa plantas agnoscendas. Agitur enim de planta incognita invenienda in ſyſtemate.

Talis Botanicus, qui ſyſtema artificiale in uſus vocat, comparandus est cum Chemico, qui de corpore, cujus agnitionem desiderat, cognitionem philoſophicam non habet, ſed unam tantum notam novit.

Ex notione itaque methodi artificialis intelligitur, tales posſe dari multiplices, prout ex aliis partibus deſumuntur notae, ad quas plantae disponuntur.

Ejusmodi methodum omnes ſequuntur, qui, cum ad examen et perlustrationem totius Regni vegetabilis animum appellant, propositam habent ejus ideam quandam generalem, ſeu ſchema quoddam pro arbitrio et propriis placitis effictum, quod sibi exſequendum ſumunt, et ad ſyſtematis normam pergendo plantarum ſpeciebus singulis eos locos assignant, quos methodi leges praeſcribunt: ſeu methodum artificialem ſequuntur, qui partem quamcunque alicujus plantae sibi pro ſyſtemate condendo examinandam ſumunt, et ad hanc unicam partem omnes differentias genericas referunt.

Methodi illae artificiales, licet locum nullum relinquant ſpei conſervandi affinitates plantarum, ſua tamen ſecum ferunt commoda, ut carere illis Botanici non possint. Quaevis etenim talis methodus occasionem praebet contemplandi Regnum vegetabile ex nova quadam parte; investigandi, quantum quaevis pars ſtructurae plantarum sigillatim valeat et qualis notae in quavis a natura reconditae sint. Inter quas ſemper multae reperiuntur, quae

alioquin in mentem non venisſent, quae autem ad veras affinitates clasſesque naturales conſtituendas faciunt. (*a*)

Tali itaque methodo inſervirè posſunt *radices*, *folia*, uno verbo, omnes vegetabilium partes. Sed non omnes aeque bene huic ſcopo ſufficiunt. Tria nempe ſunt requisita, ob quae pars aliqua ad ſyſtema condendum commendatur. Primum est, ut in tali parte detur copioſa differentia, deinde ut in quaque ſpecie sit conſtans, tandem, ut facile agnoscatur.

Hinc radices nil valent, ob defectum tertii requisiti; nec folia, cum forma conveniat in ſpeciebus diversisſimis, nec caules, cum differentia non ſat magna sit, et ita porro. Sic etiam quod Guettardus propoſuit ex glandulis pilisque condendum ſyſtema non valeret. Nam et plures herbae iis prorſus deſtituuntur, et ipſae illae partes, ſi adſint, aegrius aut non niſi armatis oculis obſervari queunt.

Omnibus bene perpensis, in nulla parte illa requisita modo praeſtantiori habentur, qnam in *flore* atque *fructu*. Hinc etiam, inde a TOURNEFORTIO praeſtantissima ſyſtemata artificialia ex flore et fructu ſunt condita.

Nolo haec ſyſtemata recenſere, cum in generalibus ſit ſubſistendum et recta via pergendum ad ea, quae ad examen plantarum ducunt.

Verbo itaque dicendum est de ſyſtemate illo, quod omnes fere Botanici ſequuntur, quodque LINNAEO debetur, dictum *Syſtema ſexuale*.

LINNAEUS in promovenda re botanica longe alium ordinem introducens, novum prorſus ſyſtema non modo ex-

(*a*) Conſer OEDERI Elementa Botanicae. §. 127. pag. 115.

excogitavit; ſed omni numero abſolvit, *ſexuale* ſcilicet, ab organis masculis et femineis plantarum deſumtum.

Dividit ſyſtema illud in viginti quatuor Clasſes, cuique Clasſi Ordines ſuos ſubjunxit, Ordinibus ſubdidit Genera, Generibus Species. Clasſem compoſuit abſtrahendo unam partem fructificationis, numerosis plantis communem; ordinem alteram abſtrahendo, in paucioribus obſervandam; genus ſumendo omnes fructificationis partes, earumque modificationes, quae inveniuntur in ſpeciebus. Hae ſua vice differunt aut caule, aut foliis, aut dispositione florum. Species agnoscit, quando plantae, praecipua fructificationis attributa communia offerentes, figuram variam foliorum, dispoſitiones florum, caulem varium, cetera exhibent. Clasſis itaque nomine intelligit congeriem ordinum, quibus nota quaedam communis adeo propria est, ut ab omnibus aliis plantarum ordinibus prorſus differant; ordinem vocat, generum quandam congeriem, quibus peculiari nota a reliquis generibus ita diſtinguuntur, ut minime cum hisce confundi queant; generis nomine ipsi venit plantarum congeries, quibus nota propria ſeu character idem apprime convenit; ſpecies denique ejusdem generis dicendae ſunt, quae praeter characterem, generi proprium, alia singulari nota diſtinguuntur a ceteris ejusdem generis plantis.

Plantae verbi gratia omnes, quibus *Geniſtae* nomen est, non tantum a ceteris generibus diſtinguuntur nota propria, omnibus *Geniſtae* plantis communem; ſed a ſe invicem ſingulari quadam, ſpeciebus ſingulis hujus generis ita propria, ut non alii ejusdem generis conveniat.

Exemplo ſint *Geniſta ſagittalis*, et *canarienſis*. *Geniſta* ſeu *Geniſtae* genus ab affinibus distinguitur eo, quod calyce bilabiato ſit inſtructum, labio ſuperiori bidentato, profundius diviſo; labio inferiori tridentato, ſubaequali. Dein quod vexillum oblongum habeat, a ſtaminibus atque piſtillo deorſum reflexum. Hanc notam omnes *Geniſtae* ſpecies communem habent. Haec vero non ſufficiebat, ut inter ſe discernerentur ejusdem generis ſpecies. Quaevis ſibi privum postulabat characterem, qui in exhibitis plantis per ramos et folia conficitur. *Geniſta ſagittalis* enim in eo differt a *canarienſi*, quod rami ſint ancipites, membranacei, articulati, folia ovato-lanceolata, dum *canarienſi* folia utrinque ſint pubescentia, et rami angulati.

Ut de generibus conſtet, bene eorundem definiti ſint characteres, oportet. Horum triplicem LINNAEUS poſuit differentiam.

Sunt vel *naturales*, vel *factitii*, vel *eſſentiales*. Eſſentiales characteres ſunt ejusmodi, qui notam generi, cui applicantur, ſingularem ſubministrant et unica idea genus a congeneribus ſub eodem ordine naturali diſtinguunt, (*a*) adeoque nota ſingulari genera maxime affinia ſeparant. Ejusmodi characteres verbi gratia ſunt denticuli ſtaminum in *Brunella*, *Crambe*; ſquamula nectarifera in unguibus petalorum *Ranunculi*, petala tubulata nectarifera *Hellebori*; in *Salvia* filamenta baſi appendiculata, cet.

Si

(*a*) Vid. CAROLI LINNAEI Philoſophia Botanica, §. 187. pag 212. Edit. quartae, ſtudio CURTII SPRENGEL Halae ad Salam 1809 8°.

Si omnium generum characteres esſentiales detecti esſent, facillima evaderet plantarum agnitio. Characteres ergo ejusmodi generibus distinguendis optimi ſunt, ſed vix ubique posſibiles, cum non omnes plantae talem prae ſe ferant ſtructuram convenientem, ut omnibus ejusdem generis ſpeciebus nota talis applicari posſit.

Hinc ad alios confugerunt Botanici; *factitios* fecerunt characteres, ex leviori aut inconſtantiore quadam nota deſumtos, quibus genus ab affinibus ejusdem ordinis artificialis, diſtinguunt. (*a*) Sic *Galium* corolla ſubrotata ab *Asperula*; *Solanum* antheris ſubcoalitis a *Phyſalide* et *Atropa* dignoscuntur.

Saepius etiam characteres ejusmodi adhibentur, ut genus quoddam naturale propter frequentiorem ſpecierum numerum in plura genera artificialia dividi queat.

Maximo denique labore LINNAEUS omnes pro quoque genere floris partes deſcripſit a calyce ad maturitatem fructus; unde naturalia denominata fuerunt genera, et qui his definiendis inſerviebant, characteres, naturales fuerunt dicti. (*b*) Hi ergo omnes notas genericas posſibiles definiunt, adeoque esſentialem et factitium includunt, omnibusque inſerviunt methodis, quae aut excogitatae fuerunt, aut olim proponentur.

Verbi gratia in LILIO, adeoque in omnibus LILII ſpeciebus, *Calyx* nullus est.

Co-

(*a*) Vid. loc. cit. § 188. pag. 213.

(*b*) Vid. l. c. §. 191 et 192. pag. 214 et 215.

Corolla hexapetala, campanulata, inferne angustata. Petala ſunt erecta, incumbentia, dorſo obtuſe carinata, ſenſim patentiora, latiora: apicibus obtuſis, crasſis, reflexis.

Nectarium: linea longitudinalis, tubuloſa, petalis ſingulis a baſi ad medium inſculpta.

Staminum filamenta ſex, ſubulata, erecta, corolla breviora. *Antherae* oblongae, incumbentes.

Piſtilli germen oblongum, cylindraceum, ſex ſulcis ſtriatum. *Stylus* cylindraceus, longitudine corollae. *Stigma* crasſiusculum, triangulare.

Pericarpium est capſula oblonga, ſexſulcata, apice cavo, trigono, obtuſo; trilocularis, trivalvis, valvulis pilo cancellatim intertexto connexis.

Semina numeroſa, gemino ordine incumbentia, plana, extrorſum ſemi-orbiculata.

Obs. Nectarium *in aliis barbatum*, *in aliis inberbe*. Petala *in aliis totaliter revoluta*, *in aliis non item* (*a*). Sine hac notitia characteristica naturali, nullus ſolidam Botanices cognitionem acquiret. Novis enim detectis generibus, deſtituto charactere naturali, Botanicus ſemper vacillabit. Qui igitur credit, ſe ſapere in botanicis ex eſſentiali charactere, neglecto naturali, is fallit alios et fallitur ipſe, cum eſſentialis, novis detectis generibus, nequeat non ſaepius fallax evadere. Character naturalis itaque generum plantarum fundamentum est, quo deſtitutus nullus de genere rite judicabit; adeoque abſolutum fundamentum cognitionis plantarum est, et erit.

His-

(*a*) Vid. CAROLI a LINNÉ genera plantarum, curante D. JO. CHRISTIANO DAN. SCHREBER. Pag. 218 et 219. gen. 558. Francofurti ad Moenum 1789. 8vo.

Hisce jam fundamentis ſystema ſuum artificiale ſuperſtruxit LINNAEUS, quod eo reſpectu reliquis inprimis palmam praeripit, quod compendium haberi posſit omnium, quae ante LINNAEUM excogitata fuerunt, ſystematum, quoniam generum characteres deſumpti ſint ex forma *calycis*, *petalorum*, *pistillorum*, *ſtaminum*, *nectariorum*, *pericarpiorum* et *ſeminum*. Praecipua autem ſyſtematis baſis, ut antea vidimus, conſistit in *ſtaminibus* et *pistillis*, unde plantarum nuptiae vel generationis actus dependent.

His nuptiis plantarum ſystematis *Clavem* ſuperſtruxit, (*a*) et quidem primo diſtinxit Clariſimus Auctor inter plantas, quarum organa genitalia omnibus ſunt conſpicua, phanerogamas, et inter plantas, quarum aut ſunt incognita, aut vix perceptibilia. Primarum nuptias publicas vocavit, ſubſequentium clandestinas. Clandestinis nuptiis plantae cryptogamicae ſolummodo propagantur, dum omnes reliquae, quae prima clavis linea intercipiuntur, publice actus ſuos exercent, vel potius organa genitalia plantarum cryptogamicarum tam exigua ſunt, aut quacunque ratione nobis latentia, ut vel oculis nudis non conſpiciantur, vel alio quocunque modo hominum conſpectum effugiant, dum ceterarum ad primum intuitum cuique ſunt manifesta.

Prima plantarum, publicis nuptiis propagantium, ſubdiviſio LINNAEO fit per *Monocliniam*, et *Dicliniam*. Voces illae originis graecae ſunt, ideoque laudandae, quod uno vocabulo accurate exprimant, quod latino ſer-

(*a*) Vid. Tabulam primam.

ſermone non, niſi verborum ambage explicare poſſimus. Vi vocis ad *Monocliniam* omnes pertinebunt flores hermaphroditi, id eſt, omnes, qui utriusque ſexus organa, ſive ſtamina et piſtilla in uno eodemque thalamo continent: ad *Dicliniam* autem pertinebunt omnes, quorum mariti et uxores diſtinctis thalamis gaudent. Quo intelliguntur omnes plantae, quae ad *Monoeciam*, *Dioeciam* aut *Polygamiam* referuntur.

Quum vero Auctor obſervaret, florum, qui hermaphroditi dicuntur, organa genitalia aut inter ſe diſtare et nullo modo eſſe connata, aut ſibi admodum eſſe propinqua et invicem concreta, *diffines* priores, posteriores *affines* vocavit.

Affinitatem agnovit in decima ſexta, decima ſeptima, decima octava, decima nona et vigeſima claſſe ſui ſyſtematis; in reliquis omnibus, quae ante has in ſyſtemate collocantur, *diffinitatem* locum habere affirmavit.

Tandem detexerat per plurima tentamina, magnitudinem ſtaminum in quibusdam plantis relativam ad ſocios ſuos, et, quoad ceteras, eandem eſſe in omnibus. Hinc reſpiciens ad illos homines, qui, in ſtatu naturae vitam degentes, Magnates non agnoscunt, aut caput jugo ſubmittere non coguntur, *indiſſerentismo* comprehendit omnes tredecim claſſes priores, dum *ſubordinatas* vocavit omnes plantas, quarum mariti certi quidam reliquis praeferuntur, ſeu quarum ſtamina duo ſemper reliquis breviora ſunt.

Quae in clavi continentur claſſes, quaeque ſuis diſtinguuntur characteribus, qui ex ſolis ſtaminum et pi-

pistillorum, id est, organorum genitalium masculinorum et femineorum numero, situ relativo, nexu, magnitudine aliisque petuntur differentiis, dum classium ipsarum sectiones vario determinantur modo, qui in ipsa systematis explicatione elucescet.

In undecim prioribus classibus differentia consistit in numero staminum (*a*). Circa quae animadverti meretur, eadem ex receptaculo communi, corolla, aut calyce ortum ducere, 2°. flores, in quibus reconduntur, faciles esse conspectu, 3°. hermaphroditos esse, 4°. stamina a se invicem esse separata, magnitudine convenientia, aut subaequalia.

Si haec omnia in flore, cujus examen Botanicus instituit, reperiantur et stamina non ultra novendecim appareant, certus esse potest, plantam ad aliquam ex dictis classibus pertinere. Sin autem planta ultra novendecim stamina contineat, et stamina ipsa originem trahant ex interno calycis latere, in ceteris prioribus convenientia, ad duodecimam classem referatur, oportet, ad *Icosandriam:* vel si, ceteris paribus, flores pluribus, quam novendecim staminibus, instruantur, quae originem ducunt ex receptaculo communi, non ex calycis interno pariete, ad *Polyandriam* referendos esse concludimus.

Omnes hae classes pro numero pistillorum dein in varias sectiones dividuntur, quae examinanti nullas difficultates pariunt.

Sumamus verbi gratia plantam, cujus classis et ordo nobis sunt incogniti, quam autem aliunde novimus,

ad

(*a*) Confer tabulam secundam.

ad quandam ex tredecim clasſibus prioribus pertinere; computemus numerum ſtaminum et pistillorum, videamusque, ſi numerus ultra novendecim reperiatur, utrum ex calycis latere interno, an vero ex receptaculo communi oriantur ſtamina. Quod ſi fecerimus, facillime plántam quamque ad ſuam clasſem et ordinem reducemus.

Decima quarta clasſis illas comprehendit ſtirpes, quarum ſtamina quatuor ſunt numero, quorum autem alterum par alteri est ſubordinatum, ſive minus reliquo. Pulcherrima profecto haec clasſis est, nam non ſolum ex florum habitu externo plerumque judicium ferre valemus de eo, quod intus latet, ſed fere omnia genera diſtinctas adeo notas in fronte gerunt, ut quisque naturae conſtantiam admiretur, quae per tot generationes minutisſimas illas particulas conſervaverit, in omnibus adeo perpetuas, ut ex primo plantae intuitu Botanicus de genere conſtituat. Ejusmodi verbi gratia ſunt antherae punctis osſeis adſperſae in *Leonuro*; antherarum paria cruciata in *Glechomate*; corollae labium inferius, utrinque dente ſetaceo inſtructum, in *Lamio*; calycis fauces villis clauſae in *Thymo*, cet.

Dividitur haec clasſis in ordines duos, quorum alter *Gymnospermia* dicitur, alter *Angiospermia*. Ad *Gymnospermiam* omnes referuntur plantae, quae quatuor, nec pluribus, gaudent ſeminibus, quae nullo pericarpio incluſa in ipſo calycis fundo reperiuntur. Huc verbi cauſa pertinent *Thymus*, *Lamium*, *Lavandula*, cet.

Al-

Altero ordine, quae *Angiospermia* dicitur, illae plantae comprehenduntur, quarum ſemina peculiari tegmine gaudent, nec ad floris inſpectionem nuda apparent. Exempli loco ſit *Digitalis purpurea.*

Decima quinta clasſis *Tetradynamia* dicitur. In hac clasſe ſex plerumque ſunt ſtamina, quorum quatuor imperium ex vocis ſignificatione in reliqua exercent, id est, iis longiora ſunt. Unde Belgis dicuntur *Viermagtigen*, quae hac comprehenduntur plantae.

Subdivitur haec clasſis in duos ordines, in *Siliculoſam* et *Siliquoſam.*

Siliqua autem Botanicis dicitur pericarpium elongatum, bivalve, ſuturis duabus, ſeminibus affixis alternatim in utraque ſutura.

Siliculae nomine intelligitur ejusmodi pericarpium coarctatum, quod ſimul amplum vel ſubrotundum est.

In multis, primo fructificationis tempore, pericarpiorum forma adeo est ambigua, ut ex ſola conjectura, nisi aliunde innotescat, ordo conſtituendus videretur. Attamen pistilli ſtructura in *ſiliquoſis* et *ſiliculoſis* ita prorſus differt, ut, etiam in florentibus neque fructiferis utriusque ordinis herbis, vix unquam dubium exſurgere posſit.

Quae jam ſequuntur tres clasſes, ſtamina continent inter ſe baſi concreta et coalita, aut in unam masſam, aut in duas partes, vel denique in plures.

Decimam ſextam clasſem *Monadelphiam* dixit LINNAEUS, ad fratres reſpiciens, qui ex eadem proveni-

nien-

nientes genitrice, unicam originem agnoscunt et proximis vinculis junguntur.

Continentur hac classe flores, quorum stamina in unum corpus a basi ad determinatam altitudinem sunt coalita, et ad summitates plerumque tantum discreta visuntur.

Nulla hîc habetur pistillorum ratio ad ordines constituendos, qui jam ex solo staminum numero definiuntur.

Ordines, quos in hac classe plantarum copia huc usque formare jussit, sunt plures. Exempli loco inserviant *Triandria*, *Heptandria*, *Octandria*, *Enneandria*, *Decandria*, *Polyandria*. Postremus hic ordo omnes plantas sibi associat, quarum numerus, quoad stamina, decimalem superat.

Decima septima classis *Diadelphia* dicitur. Haec a priori in tantum differt, quod stamina non in unum corpus sint concreta, sed, in duo divisa, pistillum amplectantur. Singulare autem in hisce est, quod unum plerumque stamen divisionis causam constituat, dum reliqua omnia inter se coalita conspiciantur.

Flores in hac classe plerique, ad angulum acutum a perpendiculo nutantes, stamina et pistilla intra corollae carinam abscondita gerunt et tecta, atque vexillo, pluvias arcente, insuper muniuntur, ut maturetur foecundatio.

Eodem modo, ac prior potest subdividi.

Polyadelphiae classis omnes dicuntur flores, quorum stamina ex triplici, quadruplici, multiplici denique columna proveniunt. Connata quidem sunt, at in plura dis-

discreta corpora, et maxime disſimilia fratribus illis germanis, qui in *Monadelphia* intimum illud conſervant connubium et unicum tantum corpus conſtituunt.

Ut in praegreſſa, ita etiam in hac claſſe, plures reperiuntur ordines, quorum ille, qui *Icoſandria* dicitur, huic est proprius. Plura, quam novendecim in eo conſpiciuntur, ſtamina, originem ducentia ex ipſo calyce; dum in *Polyandria* in receptaculo communi baſin reperiunt.

Diffcilem ſaepe pronunciarunt LINNAEI methodum, et ſane inter faciliores nomen non meretur, praeſertim ſi reſpiciamus ad *Syngeneſiae* ordines, propter teneritudinem ſtaminum et pistillorum. At vero una planta bene cognita, ſeu potius unius plantae florens habitus reliquas omnes indicat.

Omnes quippe hujus claſſis plantae quinque ſtamina, antheris coalita, offerunt, ita ut nulla floſculorum congeries adſit, quin in aliqua ipſorum parte dictus antherarum coalitus reperiatur. Etenim ut in tribus claſſibus praegreſſis ſtamina ad baſin coaluerunt, ſic in hac nostra ſtaminum filamenta libera procedunt; ad ſummitates autem concrescunt et unicum conſtituunt caput ex antherarum confluxu, quod foedus conſtituere a LINNAEO dicitur.

In plerisque plantis, ut vidimus, ſtamina claſſibus conſtituendis inſerviunt, atque feminae ad ordines conſtruendos adhibentur. In claſſe *Syngeneſiae* autem a ceteris differunt ordines. Huc praeprimis facit florum peculiaris forma. Quippe componuntur ex multis minoribus floſculis, quorum illi, qui in margine po-

ponuntur, *radium* ſic dictum conſtituunt, mediorum congeries *discus* audit, aliquandoque forma et ſexu differunt.

Aliquot huic claſſi ſubjiciunter ordines, qui omnes tot differentias in organorum genitalium poſitione relativa indicant.

Primus ordo est *Polygamia aequalis.* Omnes flosculi, tum qui discum, cum qui radium occupant, in hoc ordine hermaphroditi ſunt. Omnibus itaque utriusque ſexus organis inſtructis, alterius ſuppetiis nullus floſculus habet opus, ſed etiamſi ſolus maneret, a reliquis ſeparatus, ſpeciem ſuam propagare poſſet.

Aliud quid locum habet in ordinibus, qui ad *Polygamian ſpuriam* referuntur. In hisce ordinibus ab alterutra parte quidam organorum genitalium defectus locum habere videtur. Etenim vel adſunt mariti, absque uxoribus, vel organa feminina, maritis deſtituta, conſpiciuntur.

Primus ordo, in quo ejusmodi defectus obſervatur, dicitur *Polygamia ſuperflua.* In hoc ordine floſculi hermaphroditi discum occupant; marginem cingunt floſculi feminei, ſtaminibus deſtituti. Hi radium occupantes, quum per ſe ſemina foecunda non ferant, mares, diſcum inhabitantes, ſollicitare debent, ut aura genitali ſua foecundent ſeminum primordia, alias ſterilia manſura. Hoc nempe in caſu feminae, radium formantes, ſemina foecunda ferunt ex virtute genitali maritorum, discum occupantium, quorum uxores ſimiliter ſemina foecunda producunt.

Si autem concubinae feminae, quae radium occupant, ob defectum organi genitalis auram foecundantem

tem recipere nequeant, dum feminae, discum occupantes, fertiles ſint et foecunda progignant ſemina, *Polygamia frustranea* dicitur. In hac dispoſitione flores disci hermaphroditi ſunt, quorum organum genitale femineum *ſtigmate* inſtruitur et ſemina foecunda profert: flosculi vero, radium conſtituentes, quum ſtigmate careant, ſemina proferre nequeunt.

Neceſſaria denique dicitur *Polygamia*, cum uxores, discum floris conſtituentes, ob ſtigmatis defectum, vel aliud quodcunque organorum genitalium vitium ſpeciem propagare nequeant, flosculis, radium inhabitantibus, interim foecundis. Hae itaque matris vices facile adimplent, quin imo ſpeciei conſervandae neceſſariae ſunt, unde denominationis ratio (*a*).

Alius dein occurrit Claſſis decimae nonae ordo, cui *Polygamiae ſegregatae* nomen est.

In dictis *Syngeneſiae* ordinibus omnes flosculi ex receptaculo communi originem ducunt, omnesque ſeſſiles ſunt, hoc est, nullo pedunculo peculiari inſtruuntur. Si jam intelligamus, flosculos illos pedunculatos fieri, ſuis inſtructos calycibus, cujuscunque ſexus ſint et conjugii, non refert, ad *Polygamiam ſegregatam* illos pertinere, certi ſumus. Hoc in caſu enim calyces florigeri unicam conſtituunt inflorescentiam.

In dictis *Syngeneſiae* ordinibus foecundatio mire conficitur. Virgines quippe, quae, antequam pollen maſculinum debitum maturitatis gradum acquiſiverit, exiles in inferiori flosculorum tubo haerent, jam ſubito ſtigmate aperto excreſcunt, per tubum, ex antheris for-

(*a*) Exemplum invenies in *Calendula officinali.*

* * *

formatum, viam ſibi faciunt, masculam ſecum rapiunt virtutem, et ad novae ſtirpis primordium per canales tenerrimos deducunt.

Ultima clasſis *Syngeneſiae* diviſio est in *Monogamiam*. Alium longe in hoc ordine flores prae ſe ferunt habitum, ac in polygamicis; non in *discoideos*, aut *radiatos* distinguuntur, ſed ſimplices, unica inſtructi ſunt uxore, quam modo non abſimili, ac polygamiam exercentes, antheris amplecti dicuntur.

Exemplum praebeat *Viola tricolor*. Singularis in genere violarum est ſtigmatis piſtilli flexura, ſub qua foramen latet. In hujus generis flosculis, praeſertim in tricoloribus jucundo ſpectaculo licet videre, flore nuper explicato, virgineam vulvam ſeu ſtigma hiare, globi inſtar concavi et aperti ad latus, album et nitidum, antequam ſpermate masculino imbutum ſit. Simulac autem genituram ſuam projecerunt quinque ejus affines mariti, totam vulvam virtute genetrice repletam coloreque fusco deſpurcatam obſervabis, tuba interim clara existente et pellucida. Ante hanc foecundationem ſi comprimas vulvam, exſtillabit liquor quidam lacunarum melleus, qui materiem iſtam genitalem retinet et attrahit.

Quas hucusque explicavimus clasſes, omnes ſtamina habent aut receptaculo communi, aut calycis lateri interno inſerta. Quae jam ſequitur, organa masculina ipſi pistillo, ſeu ſtylo annexa habet, ipſi feminae affixa. *Gynandria* vocatur, quum feminae et mariti eandem originem agnoscant, ſcilicet, diſtincte ſi loquamur, dicere non posſumus, ſtamina e piſtillis pro-

provenire, cum binae hae partes ſimul generentur, et eo ipſo, quo pistillum apparet, tempore ſtamina conſpiciantur, lateri ejusdem adhaerentia; quod optime per vocem *Gynandriam* exprimitur.

Ordines conſtituuntur ex numero ſtaminum. Habemus ſic *Gynandriam Diandriam*, aliumve ordinem, ex ipſis deſumendum organis masculinis.

Ut in animalibus pleraeque ſpecies ſexus ſunt diverſi, ſic quoque in quibusdam plantarum ſpeciebus eandem ſexus disjuncti differentiam deprehendimus, quae ſi obſervetur, flores ad quandam ex binis clasſibus ſubſequentibus refendos eſſe, voluit LINNAEUS.

Quos huc usque luſtrabamus plantarum flores, hermaphroditi dicuntur, ob ſexus, ut ita dicam, conjunctionem; non autem idem connubium obſervatur in plantis *monoecis* aut *dioecis*, quae utrumque ſexum a ſe invicem diverſum conſtituunt.

Sed ut melius intelligatur, quid de re ſit, ipſarum clasſium dabo explicationem.

Plantae vigeſimae primae clasſis, *Monoecia* dictae, utriusque ſexus organa ſeparata gerunt. In eadem quidem planta flores masculini et feminei conſpiciuntur, at diverſis pedunculis inſidentes. *Monoecae* dicuntur ejusmodi plantae a graeca voce μόνος unicus et οἰκία domus; mares quippe cum feminis in eadem domo habitant, non autem in eodem thalamo.

Artificioſe in hac clasſe ordinati ſunt amores; flores etenim masculi altiorem feminis occupant locum, vel copia adeo exuberante adſunt, ut polline foecundante;

fumi inſtar, aërem ambientem replere valeant. Hinc vaporarii fenestras nimis ſtudioſe clauſas qui ſervant Hortulani, dum flores ſuos profert *Cucumis Melo* aliave planta *monoeca*, imtempestiva hac ſua ſedulitate foecundationem, ope admisſi venti adjuvandam, prohibentes, ſterilem et abortum facientem non minus reddunt plantam, quam qui praepostera cura flores ſic dictos ſteriles, masculinos innuunt, ſollicite decerpunt ex inani nimiae nutrimenti conſumptionis metu.

Vigeſima ſecunda clasſis a priori ſolummodo differt, quod plantae flores utriusque ſexus non in eadem ſtirpe gerant, ſed in diverſis. *Dioecae* dicuntur, quoniam mares a feminis non tantum ſeparati ſunt, ſed diverſa loca inhabitant, aliquando maxime disſita, plerumque tamen absque eo, ut feminarum ſterilitas inde metuenda ſit. Narrant ſic, *Palmas*, ad maximam a ſe invicem diſtantiam, ſolius venti ope, ſperma masculinum vehentis, foecundari; dum in caldariis, ſaepe proxime ſibi appoſitis, nulli fructus producuntur, quippe in quibus foecundans aura, ſecum pollen ferens, non admittitur. In *dioecis* enim omnia ita diſpoſita atque ordinata ſunt, ut in plurimis, antequam folia emittuntur, peragatur inflorescentia, ne foliis intervenientibus perrara et difficilis reddatur foecundatio; praeterea abundans in his pollinis adest copia, mirabili prorſus mechanismo elastico, vel vento auxiliante ad vicinos non tantum, ſed ad remotiores etiam flores deducta.

Utrique clasſi ſui ſunt ordines, qui ex ſtaminum numero, ſitu, magnitudine et nexu deſumuntur. Quod

ad

ad ante dictas clasſium diviſiones, in iisdem ſtaminum differentiis characteres quaerebantur, ex quibus in ambabus hisce ordines fuere conditi. Cum itaque tum jam de his egimus, ipſis nunc quidem ſuperſedeo. Si enim modo ordines vocentur, quae alibi clasſes fuere dictae, omnia facillime explicantur.

In vigeſima tertia clasſe in eadem planta flores reperiuntur hermaphroditi, dum in aliis ejusdem plantae pedunculis, aut aliis ejusdem ſpeciei plantis flores masculini, aut feminei ſunt poſiti, aut omnes hi flores in eadem ſtirpe ſimul reperiuntur. Sed quocunque modo haec floscùlorum conjunctio, ut ita dicam, ſe habeat; hermaphroditi numquam deſiderantur, ſed aut perfecti, id est, organis utriusque ſexus ornati, aut imperfecti, vel organis genitalibus, quorum aut masculae, aut femineae partes vel, anthera, vel ſtigmate destituantur, inſtructi.

Si pars genitalis mascula defectu quocunque laborat, flores dicuntur *hermaphroditi feminei*. Si contra ea feminae ſtigmate distituuntur, flores vocantur *hermaphroditi masculini*. In *hermaphroditis femineis* aura foecundans deſideratur, hinc per ſe ipſos ſemina matura producere nequeunt. In *hermaphroditis masculinis floribus* aura genitalis abundat, at vero organum deficit, huic excipiendae adaptatum. In altero caſu igitur mares, in altero femellae deſiderantur. Hinc duo oriuntur ordines, qni itidem vario modo determinantur, ut in ipſa explicatione mox elucescet.

Primus ordo dicitur *Monoecia*. In hoc ordine reperiuntur in eadem planta:

1°. Flo-

1°. Flores hermaphroditi masculini, et flores hermaphroditi feminini. Quod ſi contingat, planta quibusdam dicitur pertinere ad *Polygamiam Monoeciam per hermaphroditos*.

Exemplum nobis offert *Muſa*. Haec nempe duplices fert flores, inter ſe diverſos, in eadem planta, quorum alii foecundi a parte feminina, alii a masculina ſunt.

2°. Adſunt in eadem planta et flores hermaphroditi, et flores masculini; *Monoecia per mares* dici poſſet. Exempli loco ſit *Veratrum album*.

3°. *Per feminas* appellatur, quando flores feminei et hermaphroditi in eadem ſtirpe deteguntur. Exemplum invenimus in *Parietaria officinali*.

Ordo ſecundus *Dioecia* vocatur. Hic in eo differt ab ordine primo, quod in *Dioecia* flores a ſe invicem non tantum ſeparantur, ſed in diverſis plantis habitant.

Signa, quibus Botanici utuntur, ut flores hermaphroditos, masculinos et femininos indicent, ſunt ſequentia: pro flore hermaphrodito, ſitne femineus, aut masculinus ☿: pro flore masculino ♂: pro flore femineo ♀.

De quadam vegetabilium compoſitione methodica ſolliciti veteres, pleraque flore fructuque inſtructa vegetabilia conſpicientes, alia iisdem plane destitui ſibi perſuadebant. Illorum enim teneritudo et forma, a reliquis magis minusve recedentes, aut flores conſpectu reddunt difficiliores, aut a reliquis maxime discedere faciunt.

Huic differentiae, ut videbatur, non verae quoddam

dam distinctionis momentum inesse autumabant, et illorum respectu has *imperfectas* dixerunt plantas, quasi vero quidquam in tota rerum natura imperfectum occurreret. Flosculis insuper has plantas non destitui, cum analogia, tum observatio docet. At vero etiamsi nullis gauderent haec vegetabilia fructibus, ob hanc solam rationem imperfecta habenda non forent. Fines, quibus definiuntur, sunt considerandi. Quidquid autem fini respondet, quidquid destinationi satisfacit, sensu latissimo perfectum mihi dicitur.

Familiae, classe vigesima quarta contentae, LINNAEO dicuntur *Filices*, *Musci*, *Algae*, *Fungi*.

Longum foret, si botanicorum labores vel leviter adumbrare vellem, ulteriori plantarum harum indagationi impensos. Sufficiat indicasse, Filices jam in plures divisos esse ordines, quemque nomine suo insignitum; Muscos inter et Algas, proprias Hepaticarum et Homallophyllorum familias statui; Algas porro et Lichenes nomine et charactere distingui; Fungos denique suos habere ordines.

At vero quantumvis amplum sit et immensam complectatur multitudinem plantarum systema vegetabilium, unusquisque, qui modo principia hujus doctrinae vel primis labris degustaverit, ex ipsius plantae intuitu classem, ex classe vero ordinem facillime determinabit, vel et ex plantae intuitu nomen, ex nomine autem ejus historiam, locum natalem, vires et quidquid de ea compertum habetur, perspiciet. Ex ipso flore mox cernit, ad quam classem, ad quem ordinem, ad quodnam denique genus stirps pertineat, quam examinan-

nandam ſumſit. Sub generis nomine, a LINNAEO accurate descriptas, notisque ſuis definitas, characteribus determinatas lustrat ſpecies, et ita nomen plantae ſuae ultro invenit, una cum ſynonymis, locique natalis et durationis, ab eodem Viro Immortali propoſita, ſignificatione. In ipſis ſynonymis citatos reperit quosvis auctores, qui de planta, cujus examen inſtituitur, mentionem faciunt. Illos pervolvendo optima quaeque deteguntur, ſocietati ſaepe utiliſſima; quae animo relaxando potius, quam memoriae aggravandae inſerviunt, nullamque intentionem molestam requirunt; et, quod multis mirum videatur, planta quaecunque exotica, malabarica fuerit, cochinchinenſis, vel alia quaevis, non majori detegitur difficultate, quam quae in nostris provenit regionibus.

CA-

CATALOGUS
PLANTARUM MEDICINALIUM.

CLASSIS I.

MONANDRIA

MONOGYNIA.

I. ALPINIA.

Anthera duplex. Filamentum extra antheram non elongatum: ſtylus longitudine filamenti, in ſulco antherae receptus. Stigma obſolete trigonum. Capſula carnoſa, polysperma.

1. ALPINIA CARDAMOMUM, Roxburgh (*a*).

Scapus e baſi trunci ramoſus, procumbens.

Planta perennis in montoſis Malabariae locis.

Nomen officinale. CARDAMOMUM MINUS.

Pars uſualis. *Semen.*

2. ALPINIA GALANGA, Swartz (*b*).

Ra-

(*a*) Vid. Aſiatic Reſearches; Volum. XI. pag. 355. London 1812. *Elettariam Cardamomum* loco *Alpiniae* ſumendam eſſe, voluerunt WHITE et MATON. Confer Tranſact. of the Linnean Society. Vol. X. pag. 229—253. tab. 4 et 5.

(*b*) *Maranta Galanga* L.

Racemo laxo, compoſito, floribus alternis, nectarii labio emarginato, foliis lanceolatis enervibus, capſulis trigonis, ovatis.

Habitat in India orientali, in China et Cochinchina, planta perennis.

Nom. officin. GALANGA MINOR.

Pars uſualis. *Radix.*

II. ZINGIBER, Gärtner.

Anthera duplex. Filamentum extra antheram elongatum, apice ſubulatum, ſulcatum (processu ſubulato). Stylus in ſulco antherae receptus.

I. ZINGIBER OFFICINALE, Roscoe (*a*).

Bracteis ovato-lanceolatis, laciniis corollae revolutis, nectario trilobato.

Planta perennis Indiae orientalis.

Nomen officin. ZINGIBER.

Pars uſualis. *Radix.*

III. CURCUMA.

Anthera duplex bicalcarata. Filamentum petata-

(*a*) *Amomum Zingiber*, Willden. Confer. ROSCOE in Tranſact. of the Linnean Society. Tom. VIII. pag. 348.

taliforme, trilobatum: lobo intermedio antherifero.

1. CURCUMA ZEDOARIA, Roscoe (*a*).

Foliis ovatis acuminatis, bracteis emarginatis.

Panta perennis in Ceylona, Malabaria.

Nom. officin. ZEDOARIA.

Pars uſualis. *Radix.*

2. CURCUMA LONGA (*b*).

Fo-

(*a*) Clariſſimus JOH. BARTH. TROMMSDORFF *Zedoariae* radicem ex unico *Amomo Zedoaria* derivari aſſerit, dum Celeberrimi Pharmacopoeae Borusſicae Scriptores eandem ex *Kaempferia rotunda* quoque peti affirmant, vel, ſi mavis, binas hasce ſpecies inter ſe non differre. Prioris ſententiae mihi quoque videtur Celeberrimus WILLDENOW, inter ſynonyma *Amomi Zedoariae* referens *Amomum Zedoariam* Bergii, dum *Kaempferiam rotundam* diſtinctam facit ſpeciem. Celeberrimus autem ROSCOE *Zedoariam* ad *Curcumae* genus referendam eſſe, lucide monſtravit. Vid. JOH. BARTH. TROMMSDORFF *Handbuch der pharmaceutiſchen Waarenkunde, zum Gebrauch für Aerzte, Apotheker und Droguisten* pag. 289. Erfurt 1799, 8o. *Pharmacopoeam Borusſicam* pag. 59. Berolini 1799. 4o. CAROLI a LINNÉ *Species plantarum*, curante CAROL. LUDOV. WILLDENOW. T. I. pag. 7 et 15. Berolini 1797, 8o. ROSCOE in Tranſact of the Linnean Society Tom. VIII. pag. 354.

(*b*) Eſt *Amomum Curcuma* Jacquini. Confer. ROSCOE l. c. Tom. VIII. pag. 355.

Foliis ovatis, lanceolatis, bracteis ſpatulatis, ſubreflexis.

Habitat in India, planta perennis.

Nom. officin. CURCUMA.

Pars uſualis. *Radix.*

CLAS-

CLASSIS II.

DIANDRIA

MONOGYNIA.

I. OLEA.

Calyx quadridentatus. Corolla quadrifida, laciniis ſubovatis. Drupa putamine oſſeo, uni-vel biloculari, mono-vel bispermo.

1. OLEA EUROPAEA (*a*).

Foliis lanceolatis, mucronatis, integerrimis, ſubtus incanis, ramis angulatis, non ſpinescentibus.

Arbor in Europa meridionali ubique culta.

Pars uſualis. *Olivarum oleum.*

II. ORNUS, Perſoon.

Calyx quadripartitus. Corolla quadripartita; petalis longis ligulatis. Filamenta longa. Nux alata.

1. ORNUS ROTUNDIFOLIA (*b*).

Foliis ſubrotundis, acutiusculis, duplicato-ſerratis, ſubſeſſilibus, floribus corollatis.

Ar-

(*a*) Est *Olea ſativa* HOFFMANNSEGGII, cujus ſpecici multae numerantur varietates. Conf. Flore Portugaiſe, pag. 383.

(*b*) *Fraxinus rotundifolia*, Aiton.

Arbor in Calabria et Sicilia frequens.

Pars uſualis. *Manna.*

III. VERONICA.

Calyx quadri-quinquepartitus. Corolla ſubrotata quadriloba, lobo quarto angustiori (ringens in paucis ſpeciebus). Stamina duo fauci inſerta. Capſula bilocularis, polysperma, diſſepimento in verticales ſibi impoſitas placentas abeunte, aut placenta demum libera.

1. VERONICA OFFICINALIS.

Foliis obovatis vel obovato-ſubrotundis, ſerratis, villoſis, calycibus quadripartitis, caule adſcendente, racemis lateralibus.

Planta perennis, in Europae ſylvestribus ſterilibus.

Nom. officin. VERONICA.

Pars uſualis. *Herba.*

2. VERONICA BECCABUNGA.

Foliis ellipticis, obtuſis, breve petiolatis, ſerrulatis, calycibus quadripartitis, caule radicante, adſcendente, racemis lateralibus.

Planta perennis, ad rivos, in foſſis aquae purioris et locis humidis copioſa.

Nom. officin. BECCABUNGA.

Pars uſualis. *Herba virens.*

IV. GRA-

IV. GRATIOLA.

Calyx quinquepartitus, bracteis duabus. Corolla irregularis, reſupinata. Stamina quatuor, duo ſterilia. Stigma bilabiatum. Capſula ovato-ſubgloboſa, bilocularis, diſſepimento valvulis parallelo.

1. GRATIOLA OFFICINALIS.

Foliis lanceolatis, ſerrulatis, ſubtrinerviis, pedunculis axillaribus unifloris.

Planta perennis praeſertim Belgii meridionalis; in provinciis Belgii ſeptentrionalibus rarior.

Nom. officin. GRATIOLA.

Partes uſuales. *Herba, radix.*

V. ROSMARINUS.

Calyx bilabiatus, labio ſuperiore integro. Corolla ringens, labio ſuperiore bipartito. Filamenta exſtantia, incurva, dentata.

1. ROSMARINUS OFFICINALIS.

Foliis ſeſſilibus, linearibus, nitidis, ſubtus incanis.

Frutex Europae meridionalis.

Nom. officin. ROSMARINUS.

Partes uſuales. *Spicae florentes.*

VI. SALVIA.

Calyx ſubcampanulatus, bilabiatus, labio ſuperiore bi-vel tridentato, ſubinde integro, inferiore bifido. Corolla bilabiata, labio ſuperiore galeato, inferiore trilobo. Filamenta baſi appendiculata (antheras ſpurias ſaepe geſtantia.)

1. SALVIA OFFICINALIS.

Caule fruticoſo, foliis oblongis, crenulatis, rugoſis, incanis, verticillis inferioribus bracteatis, calycibus ſubcoloratis.

Fruticulus in Europa auſtrali ſponte nascens.

Nom. officin. SALVIA.

Partes uſuales. *Folia.*

VII. PIPER.

Amenta ſubandrogyna. Calyx nullus. Squamae appreſſae laterales, vel bracteae peltatae aut lineares. Stamina duo vel incerti numeri. Stylus unus vel nullus. Stigma unum, fimbriato-peltatum, vel ſtigmata duo, tria, quatuor. Bacca monoſperma.

1. PIPER NIGRUM.

Foliis late ovatis, acuminatis, ſeptemnerviis, coriaceis, glabris, geniculis nodoſis, ſpicis terminalibus, caule ſcandente.

Fru-

Frutex Indiae orientalis, in insula Java copiose cultus.

Nom. officin. PIPER ALBUM.

Pars usualis. *Fructus.*

2. PIPER CUBEBA (*a*).

Foliis inferioribus cordato-ovatis, acutis, superioribus oblongo-ovatis, acuminatis, basi obliquis, glaberrimis, spicis solitariis, baccis pedicellatis.

Frutex in Javae sylvis, inque Guinea indigena.

Nom. officin. CUBEBA.

Pars usualis. *Fructus.*

(*a*) Est *Piper caudatum* Bergii.

CLASSIS III.

TRIANDRIA MONOGYNIA.

I. VALERIANA.

Calyx integer ſuperus. Corolla regularis, quinque-rarius triloba, baſi gibba. Capſula unilocularis, calycis limbo, in pappum plumoſum evoluto, coronata.

1. VALERIANA OFFICINALIS.

Foliis omnibus pinnatis, pinnis lanceolatis, dentatis, caule fiſtuloſo, ſulcato, floribus corymboſis.

Planta perennis, ex locis altioribus umbroſis colligenda. Colitur in hortis nordivicenſibus aliisque.

Nom. officin. VALERIANA SYLVESTRIS.

Pars uſualis. *Radix.*

II. CROCUS.

Corolla tubo longiſſimo, limbo regulari ſexpartito. Stamina corollae inſerta. Stigmata tria dilatata, ſerrulata aut inciſa. Capſula trilocularis.

1. CROCUS SATIVUS (*a*).

Fo-

(*a*) *Crocus autumnalis* Hoffmanni.

Foliis ſerotinis erectis, ſpatha diphylla, corollae tubo limbum excedente, ſtigmatibus truncatis, corolla ſubbrevioribus.

Planta perennis, in Graecia et Aſia minore.

Nom. officin. CROCUS.

Partes uſuales. *Florum ſtigmata.*

* CARTHAMUS (*a*).

Calyx baſi ventricoſus, imbricatus, ſquamis apice mucronatis. Semina pappo destituta.

1. CARTHAMUS TINCTORIUS.

Caule glaberrimo, foliis ovatis, integris, ſpinoſo-dentatis.

Planta perennis, olim aegyptiaca habita, in collibus aridis circa Nicaeam frequens.

** CALENDULA (*b*).

Calyx polyphyllus, ſimplex, aequalis. Semina nuda, membranacea, irregularia, curvata.

1. CALENDULA OFFICINALIS.

Seminibus cymbiformibus, muricatis, incurvatis omnibus.

Plan-

(*a*) Ad *Syngeneſiam Polygamiam* hocce genus pertinet.

(*b*) Ad *Syngeneſiam Polygamiam Neceſſariam Calendulae* genus referatur.

Planta annua in Europae auſtralis aryis.

III. IRIS.

Corolla ſexpartita, laciniis alternis reflexis, alternis conniventibus. Stylus nullus. Stigmata tria petaliformia.

1. IRIS FLORENTINA.

Caule foliis enſiformibus altiore, ſubbifloro, floribus barbatis ſeſſilibus.

Planta perennis Italiae, in Florentino tractu, praeſertim radicis cauſa, colitur.

Nom. officin. IRIS FLORENTINA.

Pars uſualis. *Radix.*

TRIANDRIA DIGYNIA.

I. SACCHARUM.

Gluma uniflora bivalvis, valvulis extus lanugine ſericea coopertis; corolla bivalvis glabra.

1. SACCHARUM OFFICINARUM.

Floribus paniculatis, foliis planis.

In utraque India in locis udis ſponte naſcens, et copioſe culta.

Partes uſuales. *Saccharum candum et album.*

II. HO-

II. HORDEUM.

Locustae tres, in quovis racheos dente parallelae uniflorae, ſingulae calyce biglumi, omnes hermaphroditae; calycis glumae ſubulatae; corollae valvula inferior ſetigera, ſuperior integra, obtuſiuscula. Squamae obtuſae, integrae, glabrae. Germen apice barbatum. Stigmata villoſa. Semen corticatum ſulcatum. Spica ſimplex.

1. HORDEUM VULGARE.

Flosculis omnibus hermaphroditis aristatis; ſeminibus quadrifariam poſitis, ordinibus duobus oppoſitis erectioribus, culmis erectis.

Gramen annuum, circa Samaram Ruſſiae naſcens; nobis cultum.

Nom. officin. HORDEUM.

Partes uſuales. *Semen crudum, mundatum et perlatum, maltum.*

III. TRITICUM.

Locustae in quoque racheos dente ſeſſiles ſolitariae, tri-vel quadriflorae, flosculis duobus inferioribus ſeſſilibus, oppoſitis fertilibus, ſu-

pre-

premis ſaepe abortivis. Calycis glumae latae, naviculares, ſubaequales, oppoſitae, ut corollae valvula inferior, dentatae, ſeta brevi; ſuperior ſubemarginata. Squamae ovatae, integrae, piloſae. Germen apice barbatum. Semen corticatum ſulcatum.

1. TRITICUM AESTIVUM.

Spica parallele compreſſa aristata, valvulis gibboſis, aristatis, truncatis, baſi coarctato-plicatis, exinde nervo longitudinali obtuſe prominente percurſis.

Planta annua, apud Baſchkiros in campis, copioſe apud nos culta.

Nom. officin. TRITICUM.

Partes uſuales. *Amylum, farina.*

2. TRITICUM HYBERNUM.

Spica parallele compreſſa ſubmutica; valvulis gibboſis, truncatis, mucronatis, baſi coarctato-plicatis, exinde nervo longitudinali obtuſe prominente percurſis.

Planta annua, ex Sicilia primo tranſlata, hodie copioſe apud nos culta.

IV. AGROPYRUM.

Calyx tri-novemflorus; glumae acutae, floſculis breviores, integrae. Corollae valvula inferior in-

integra, quandoque ſubdentata, apice ſetigera, ſeta interdum brevisſima, ſubnulla; ſuperior emarginata aut bifido-dentata. Squamae integrae, piloſae. Semen corticatum, ſulcatum. Spica compoſita, rachi articulato-dentata, locustis ſeſſilibus, aut breviter pedicellatis.

1. AGROPYRUM REPENS; Paliſot de Beauvois (*a*).

Radice repente alba, articulata, ſoboliferа.

Planta perennis in agris, ruderibus refertis, et pratis maxime vulgaris.

Nom. officin. GRAMEN.

Pars uſualis. *Radix.*

(*a*) *Triticum repens*, Schreber.

CLASSIS IV.

TETRANDRIA MONOGYNIA.

I. RUBIA.

Calycis margo obsoletus, superus, quadri-vel quinquedentatus. Corolla rotata, subcampanulata. Styli saepe duo. Baccae duae, monospermae.

1. RUBIA TINCTORUM.

Foliis senis annuis, lanceolatis, supra glabris, margine carinaque subtus scabris, caule herbaceo, aculeato, corollis subquinquefidis, baccis glabris, nigris.

Planta perennis in Europa meridionali.

Nom. officin. RUBIA TINCTORUM.

Pars usualis. *Radix.*

II. PLANTAGO.

Calyx quadrifidus inferus. Corolla rotata quadrifida, supera, persistens. Stamina longissima. Capsula circumscisa, bilocularis, di-tetra-aut polysperma.

1. PLANTAGO MAJOR.

Foliis subovatis dentato-sinuatis, nervosis, glabriu-

scu-

ſculis, ſcapo tereti, ſpica cylindrica gracili, floribus arcte imbricatis, capſulis octoſpermis.

Planta perennis, ad vias et in locis incultis creberrima.

Nom. officin. PLANTAGO.

Partes uſuales. *Folia virentia.*

2. PLANTAGO PSYLLIUM.

Caule ramoſo herbaceo, ſuperne villoſo-viscido, foliis lineari-lanceolatis, dentatis, patentibus, pedunculis axillaribus pubescentibus, ſpica ovata, bracteis acuminatis, elongatis, patentibus.

Planta annua, in Europa meridionali et Aegypto.

Nom. officin. PSYLLIUM.

Pars uſualis. *Semen.*

III. DORSTENIA.

Receptaculum commune monophyllum, carnoſum, dilatatum, patens, orbiculare aut angulatum, in quo ſemina ſolitaria nidulantur. Staminum numerus variat ab uno-quinque.

1. DORSTENIA CONTRAJERVA (*a*).

Fo-

(*a*) *Contrajervae radicem* ex hac ſpecie colligi, vulgo dicitur, Videntur autem *Dorstenia Houſtoni* et *Pſoralea pentaphylla* eandem quoque ſuppeditare.

Foliis (cordatis vel) pinnatifido-palmatis, ſerratis, receptaculis quadrangulis (undulato-exciſis.)

Planta perennis Peruviana.

Nom. officin. CONTRAJERVA.

Pars uſualis. *Radix.*

IV. KRAMERIA.

Calyx nullus. Corolla tetra-vel pentapetala. Nectarium tetraphyllum, biforme. Antherae perforatae. Drupa echinata.

1. KRAMERIA TRIANDRA.

Foliis oblongis obovatisque, acuminatis, tomentoſis, floribus triandris.

Planta ſuffruticoſa in Peruviae montium declivibus, in arenoſis.

Nom. officin. RATANHIA.

Pars uſualis. *Radix.*

CLAS-

CLASSIS V.

PENTANDRIA

MONOGYNIA.

I. ANCHUSA.

Corolla infundibuliformis, fauce fornicibus erectis obtusis clausa. Nuces turbinatae, basi perforatae.

1. ANCHUSA TINCTORIA.

Caule diffuso, calloso-hispido, foliis oblongis, semiamplexicaulibus, spinis bracteatis, fornicibus infra antheras tubo inclusis.

Planta perennis in Peloponneso et in Insula Cypro.

Nom. officin. ALKANNA.

Pars usualis. *Radix.*

II. CYNOGLOSSUM.

Corolla infundibuliformis, vel subrotata; fauce clausa fornicibus. Nuces echinatae, columnae centrali affixae, basi imperforatae.

1. CYNOGLOSSUM OFFICINALE.

Foliis canescentibus villosiusculis, inferioribus oblongis, utrinque attenuatis, superioribus subovatis, racemis subpaniculatis.

Planta annua in Patriae ruderatis.

Nom. officin. CYNOGLOSSUM.

Partes uſuales. *Herba*, *radix*.

III. SYMPHYTUM.

Calyx quinquepartitus. Corolla cylindrico-campanulata, fauce fornicibus ſubulatis, in conum conniventibus, clauſa. Nuces baſi perforatae.

1. SYMPHYTUM OFFICINALE.

Caule ramoſo, ſuperne alato, foliis ovato-lanceolatis, baſi attenuatis, decurrentibus, ſupra ſcaberrimis, ſubtus hirſutis, calycibus acutis.

Planta perennis, *in pratis humidis*, *ad foſſas et rivos copioſiſſima.*

Nom. officin. CONSOLIDA MAJOR, SYMPHYTUM.

Pars uſualis. *Radix.*

IV. ERYTHRAEA, Richard.

Calyx quinquepartitus, pentagonus. Corolla infundibuliformis, limbo quinquefido. Antherae defloratae tortae. Stigma bilobum. Receptacula duo exſtantia.

1. ERY-

1. ERYTHRAEA CENTAURIUM, Richard (*a*).

Caule ſimplici tetragono, foliis oblongis, acutis, ſubtrinerviis, floribus fasciculato-corymboſis, bracteatis, tubo corollae calycem excedente.

Planta annua, in locis ſabuloſis, praeſertim marinis.

Nom. officin. CENTAURIUM MINUS.

Partes uſuales. *Summitates florentes.*

V. SPIGELIA.

Calyx quinquepartitus. Corolla infundibuliformis, limbo quinquefido. Capſula biloba, bilocularis, polyſperma.

1. SPIGELIA MARILANDICA.

Caule ſimplici herbaceo, foliis ſeſſilibus, oblongis, ſpica ſolitaria ſecunda, ſtaminibus corolla brevioribus.

Planta perennis, in Carolina auſtrali, ſolo profundiore, fertili.

Nom. officin. SPIGELIA.

Pars uſualis. *Radix.*

VI. ME-

(*a*) Est *Gentiana Centaurium* LINNAEI, *Chironia Centaurium* SMITHII.

VI. MENYANTHES.

Calyx quinquepartitus. Corolla infundibuliformis, intus hirta. Stigma bilobum. Capsula bivalvis parietibus seminiferis.

1. MENYANTHES TRIFOLIATA.

Foliis erectis, ternatis, oblongis, serratis, racemis nudis.

Planta perennis in locis paludosis et pratis udis.

Nom. officin. TRIFOLIUM AQUATICUM sive FIBRINUM.

Pars usualis. *Herba recens.*

VII. CONVOLVULUS.

Calyx quinquepartitus, nudus, vel bracteatus. Corolla campanulata, quinqueplicata. Stamina limbo breviora. Stigma capitatum, lobatum vel fissum. Capsula uni-bi-tri-quadrilocularis.

1. CONVOLVULUS SCAMMONIA.

Foliis sagittatis, auriculis basi acuminatis sinuato-dentatis, pedunculis subtrifloris, teretibus, folio longioribus, calycibus involucratis, dilatatis, obtusissimis.

Planta perennis orientalis, praesertin in Syria frequens.

Pars usualis. *Gummi-resina, Scammonium aleppense dicta.*

2. CON-

2. CONVOLVULUS JALAPA (*a*).

Foliis cordatis, tri-quinquelobis, ſinuatis, rugoſis, hirſutis, ſubtus ſubtomentoſis, lobis oblongis, obtuſis, ſubcrenatis, pedunculis ſubtrifloris, limbo corollae repando-lobato, ſeminibus lanatis, radice tuberoſa.

Planta perennis in Xalapa et vera Cruce; in littore Georgiae et in ſabuloſis Floridae.

Nom. officin. JALAPPA.

Pars uſualis. *Radix.*

VIII. CINCHONA.

Calyx turbinatus, quinquedentatus. Corolla infundibuliformis, limbo patente. Filamenta tubo breviora. Stigma bifidum. Capſula bilocularis, polyſperma, medio dehiscens. Semina alata, margine lacero.

1. CINCHONA LANCIFOLIA, Mutis (*b*).

Foliis lanceolatis, acutis, utrinque glaberrimis.

Ar-

(*a*) Est *Ipomoea Jalapa* Purshii Conf. Flor. Americ. Septentr. I. pag. 145. Celeb. vero CURTIUS SPRENGEL *Ipomoeae* genus *Convolvulo* junxit in editione decima ſexta Syſtematis Vegetabilium, Gottingae 1825.

(*b*) Varias corticis ſpecies vero peruviano cortici, hoc praeſertim nostro tempore, aegrotorum maximo ſane damno, ſubſtitui, res est

Arbor in locis frigidioribus circa Santa Fé, et in nova Grenada.

Nom.

notisſima. Has ſpecies dignoscere praecipua ſit Pharmacopoeorum, atque Medicorum cura. Inſtituti autem ratio non ſinit, hoc loco ſigna diagnostica tradere, quibus omnes inter ſe distinguantur. Verum enimvero non posſum, quin multifarias illas plantarum ſpecies verbo indicem, quarum corticem *Cinchonae lancifoliae* cortici mala fraude aut ſubſtituunt, aut intermiscent mercatores. Sunt ſequentes:

Cinchona delicata.

Cinchona glabra Ruizii.

Cinchona purpurea.

Cinchona pallescens Ruizii.

Cinchona lutescens, quae est *lutea* Ruizii.

Cinchona fusca Ruizii.

Cinchona montana.

Cinchona corymboſa, ſive *corymbifera.*

Cinchona caribaea.

Cinchona floribunda.

Cinchona angustifolia.

Cinchona fragrans.

Mespilus arbutifolia.

Liriodendron tulipifera.

Swietenia Mahagoni.

Achras mammoſa.

Achras ſapota.

Achras diſſecta.

Achras ſalicifolia.

Nom. officin. CHINCHINA, ſive CORTEX PERUVIANUS FUSCUS.

Pars uſualis. *Cortex.*

2. CINCHONA OBLONGIFOLIA, Mutis.

Foliis oblongis, acuminatis, glabris, filamentis breviſimis, antheris infra medium tubi latentibus.

Arbor in Andium nemoribus calidisſimis circa Mariguita novae Grenadae prope torrentes, ad Chinchao Peruviae.

Nom. officin. CHINCHINA RUBRA, CORTEX PERUVIANUS RUBER (*a*).

Pars uſualis. *Cortex.*

3. CINCHONA CORDIFOLIA, Mutis.

Foliis orbiculato-ovatis, ſaepe ſubcordatis, ſubtus tomentoſis, ſupra pubescentibus.

Ar-

Nerium antidyſentericum.

Volkameria aculeata.

Conſulat, qui harum omnium characteres ſuos facere cupit, praestantisſimum DÖRFFURTII opus, Neues Deutſches Apothekerbuch, nach der letzten Ausgabe der Preusſiſchen Pharmacopoe. Tom. I. pag. 172. et ſeqq. aut B. TIEBOEL opusculum, de Kina in deszelfs geſchiedenis, ſoorten, vervalſchingen etc. Groningae apud JANUM OOMKENS, 1803. 8°.

(*a*) Conſul. MICHAËLIS RHODE Monographiae Cinchonae generis Tentamen. pag. 57. Gottingae 1804. 8°.

Arbor in novae Grenadae montibus.

Nom. officin. CHINCHINA FLAVA, CORTEX PERUVIANUS REGIUS (*a*).

Pars uſualis. *Cortex.*

IX. BONPLANDIA (*b*).

Calyx quinquepartitus. Petala quinque baſi ſubcohaerentia. Nectaria decem ſquamaeformia. Stamina aliquot ſterilia. Antherae calcaratae. Capſulae quinque coalitae uniloculares, monoſpermae, bivalves.

1. BONPLANDIA TRIFOLIATA (*c*).

Foliolis ternatis, ovato-lanceolatis, integerrimis, glabris, glanduloſo-punctatis, floribus paniculatis, barbatis.

Ar-

(*a*) Vid. l. c. pag. 58.

(*b*) ROEMERIO et SCHULTESIO *Angostura cuspare* dicitur. Maluerunt viri clariſſimi *Bonplandiae* nomen illi reddere generi, quod CAVANILLES multis jam abhinc annis in celeberrimi botanici honorem inſtituerat, ſed dein a WILLDENOWIO *Caldaſia* fuit dictum, quam nomen antiquius ſine ratione mutare. Servavimus vero novo huic generi *Bonplandiae* nomen, quod ipſis plantarum aequinoctialium ſcriptoribus non displicuiſſe videatur.

(*c*) *Bonplandia Angustura* SPRENGELII vid. l. c. pag. 780.

Arbor in America meridionali, frequens in ſylvis prope villam de Upatu et Alta Gracia.

Nom. officin. ANGUSTURA (*a*).

Pars uſualis. *Cortex.*

X. VERBASCUM.

Calyx quinquefidus. Corolla rotata, limbo inaequaliter lobato. Filamenta ſubbarbata. Antherae difformes. Capſula valvis inflexis, diſſepimentum formantibus, in placentas incraſſatis.

1. VERBASCUM THAPSUS.

Foliis oblongis, tomentoſis, crenatis, inferioribus obtuſis in petiolum attenuatis, ſuperioribus acutis, decurrentibus, racemo ſpicato denſo, corolla ſubcampanulata, antheris ſubaequalibus.

Plan-

(*a*) Multis hunc corticem perverſe *Augusturam* dici, recte monent VON HUMBOLDT et A. BONPLAND. Est vero *Angoſturae* nomine inſigniendus, cum Hiſpani *cascarilla* o *corteza del Angostura* illud medicamen vocent. „L'Oronoque," ajunt itineratores celeberrimi, „ſe rétrécisſant beaucoup près de la Guiane espagnole, la ville de *ſanto Tomas de la Nueva Guayana* est apellée vulgairement, ſur les côtes de la Terre-Ferme, le *Détroit* ou *la Angostura*." Unde nominis origo ſponte patet. Vid. Plantes equinoxiales; douzième livraiſon. pag. 62.

Planta biennis, in nostri climatis locis incultis ficcioribus frequens.

Nom. officin. VERBASCUM.

Partes uſuales. *Folia, flores.*

XI. DATURA.

Calyx tubuloſo-ventricoſus, baſi peltata perſiſtente. Corolla infundibuliformis plicata, limbo dentato. Stigma crasſiusculum bilobum. Capſula ſemiquadrilocularis, quadrivalvis, placentis discretis.

I. DATURA STRAMONIUM.

Foliis ovatis ſinuato-dentatis, glabris, pericarpiis ovatis, erectis, ſpinoſis, ſpinis ſubaequalibus, divergentibus, caule herbaceo.

Planta annua, in ruderibus refertis locis, ad ſepes, vias, in fimetis, ad foſſas ſponte nascens.

Nom. officin. STRAMONIUM.

Partes uſuales. *Herba recens, ſemen.*

XII. HYOSCYAMUS.

Calyx tubuloſus, inferne ventricoſus, quinquefidus. Corolla infundibuliformis, limbo obliquo, (interdum lateraliter fiſſo). Capſula operculata, circumscisſa, polyſperma.

I. HY-

1. HYOSCYAMUS NIGER.

Foliis ſeſſilibus, ſemidecurrentibus, ovato-oblongis, ſinuato-dentatis, piloſiuſculis, floribus ſubſeſſilibus, corollis reticulatis.

Planta biennis, in Europae ruderibus refertis pinguibus agris.

Nom. officin. HYOSCYAMUS.

Partes uſuales. *Folia recentia, ſemen.*

XIII. NICOTIANA.

Calyx tubuloſus, quinquefidus. Corolla infundibuliformis, limbo plicato. Capſula, apice quadridentata, placentis ad diſſepimentum transverſis.

1. NICOTIANA TABACUM.

Foliis ſeſſilibus, oblongo-lanceolatis, acuminatis, inferioribus decurrentibus, corollae fauce inflato-ventricoſa, limbi laciniis acuminatis.

Planta annua Americae meridionalis.

Nom. officin. NICOTIANA.

Partes uſuales. *Folia.*

XIV. ATROPA.

Calyx quinquepartitus. Corolla campanulata, ven-

ventricoſo-ovata, calyce duplo longior. Stamina ſubexſerta. Stigma capitatum. Bacca globoſa, bilocularis, placentis liberis.

1. ATROPA BELLADONA.

Caule herbaceo, foliis oblongis, utrinque attenuatis, integerrimis, pedunculis unifloris, nutantibus.

Planta perennis, in ſylvis caeduis, aliisque locis deſertis, umbroſis, praeſertim Belgii meridionalis.

Nom. officin. BELLADONNA.

Partes uſuales. *Radix, folia.*

XV. SOLANUM.

Calyx quinque-decempartitus. Corolla ſubrotota, quinque-decemfida. Antherae conniventes, apice poro gemino dehiscentes. Bacca bi-tri-quadrilocularis, placentis ſepto adnatis. Semina glabra.

1. SOLANUM DULCAMARA.

Caule fruticoſo, foliis cordatis glabris, ſuperioribus auriculato-hastatis, racemis cymoſis.

Stirps perennis frutescens, ſarmentoſa, ad ſepes, in fruticetis, in locis humidis indigena.

Nom. officin. DULCAMARA.

Partes uſuales. *Stipites.*

XVI. CA-

XVI. CAPSICUM.

Calyx quinquefidus. Corolla ſubrotata, quinquefida. Antherae conniventes, longitudinaliter dehiscentes. Antrum corticoſum, polymorphum, biloculare, placenta baſilari. Seminibus ſuperne diſsepimento adnatis.

1. CAPSICUM ANNUUM.

Caule herbaceo, fructibus ſubſolitariis, oblongis, ſubpendulis, petiolis glabris.

Planta annua Americae meridionalis.

Nom. officin. PIPER HISPANICUM, ſeu INDICUM.

Pars uſualis. *Fructus.*

XVII. STRYCHNOS.

Calyx quinquepartitus. Corolla tubuloſa, limbo quinquepartito. Stamina fauci inſerta. Stigma capitatum. Bacca mono-polyſperma.

1. STRYCHNOS NUX VOMICA.

Foliis ovatis, glabris, integerrimis, quinquenerviis, cymis terminalibus, fructibus glabris.

Arbor in Ceylonae et Malabariae arenoſis locis.

Nom. officin. NUX VOMICA.

Pars uſualis. *Semen.*

XVIII. VI-

XVIII. VITIS.

Calyx minimus, quinquedentatus. Petala emarcida, apice fornicata cohaerentia. Stigma capitatum. Bacca oligoſperma.

1. VITIS VINIFERA.

Foliis lobato-ſinuatis, nudiusculis.

Frutex in orbis quatuor partibus temperatis.

Partes uſuales. *Paſſulae majores*, et, quod ex uvis praeparatur, *vinum.*

2. VITIS APYRENA (*a*).

In iisdem, ac praecedens, regionibus habitat.

Partes uſuales. *Paſſulae minores.*

XIX. CEPHAELIS, Swartz.

Flores capitati, congesti, involucrati. Calyx urceolatus, quinquedentatus, bracteis ſuffultus. Corolla infundibuliformis, fauce barbata, limbo quinquefido. Stamina incluſa. Stigma bifidum. Drupa dipyrena, ſulcata.

1. CEPHAELIS IPECACUANHA, Tuſſac.

Caule ſimplici ſuffruticoſo, adſcendente, nodoſo, foliis obovato-oblongis acutiuſculis, baſi attenuatis, junioribus pubeſcentibus, ſtipulis multifido-ſetaceis, pedun-

(*a*) Varietas *Vitis viniferae.*

dunculis axillaribus rectis, involucro diphyllo cordato, obtuſo, flores aequante.

Planta perennis, in Braſiliae umbroſis circa Fernambuco, Rio Janeiro.

Nom. officin. IPECACUANHA.

Pars uſualis. *Radicis cortex* (*).

XX. RHAMNUS.

Flores ſaepe dioeci aut polygami. Calyx quadri-quinquefidus. Petala quatuor-quinque, vel nulla. Stamina hypopetala. Stylus ſubdiviſus. Bacca bi-triſperma. Semina ſtrophiolo cartilaginoſo.

1. RHAMNUS CATHARTICA.

Foliis ſubrotundo-ovatis, crenulatis, pubeſcentibus, venoſo-nervoſis, floribus quadrifidis ſubdioecis, pedunculis ſubaggregatis, unifloris.

Frutex ad vias et in ſepibus ſpontaneus.

Nom. officin. SPINA CERVINA.

Partes uſuales. *Baccae.*

XXI. RI-

(*a*) Ipecacuanha radix (ipecacuan, ipecuca, ipeca, ſic dicta in America, i. e. emetica) e diverſis herbis americanis colligi videtur. Confer genaure Beſtimmung der Pflanzen, welche die Ipecacuanha liefern, vom Herrn Profeſſor SPRENGEL in Halle; in Berliniſches Jahrbuch für die Pharmacie cet. Berlin 1821. pag. 25 et ſeqq.

XXI. RIBES.

Calyx ventricoſus quinquefidus, coloratus, petala alternaque ſtamina gerens. Piſtillum bifidum. Bacca globoſa, placentis adverſis.

1. RIBES RUBRUM.

Inerme, racemis glabris, pendulis, bracteis abbreviatis, floribus planiusculis, foliis cordatis, quinquelobis, dentatis, ſubtus pubescentibus.

Frutex in dumetis, ſylvis aliisque patriae locis ſponte nascens.

Nom. officin. RIBES RUBRUM.

Partes uſuales. *Baccae recentes.*

2. RIBES NIGRUM.

Inerme, foliis quinquelobis, ſerratis, ſubtus reſinoſo-punctatis, racemis floribusque campanulatis pubescentibus, pedunculo baſilari unifloro.

Frutex in vallibus et ad rivulos ſponte nascens.

Nom. officin. RIBES NIGRUM.

Partes uſuales. *Baccae recentes.*

PENTANDRIA

DIGYNIA.

I. CHENOPODIUM.

Calyx quinquepartitus, pentagonus, demum haud mutatus. Corolla nulla. Stamina receptaculo inſerta. Semen unum, lenticulare, ſuperum.

1. CHENOPODIUM AMBROSIOIDES.

Foliis lanceolatis, remote dentatis, ſubſinuatis, racemis foliatis ſimplicibus.

Planta annua in Mexico et Luſitania.

Nom. officin. CHENOPODIUM AMBROSIOIDES.

Pars uſualis. *Herba.*

II. GENTIANA.

Calyx campanulatus quadri-quinquefidus. Corolla ſubcampanulata quadri-quinquefida, fauce nuda, vel barbata. Stigma bilobum ſeſſile. Capſula unilocularis, apice bivalvis. Semina haud marginata.

1. GENTIANA LUTEA.

Caule erecto fiſtuloſo, corollis quinquefidis ſubro-

tatis, pedunculis verticillatis, ſubcymoſis, calycibus ſcarioſis, fisſis, foliis ovato-oblongis, quinquenerviis.

Planta in Alpibus perennis.

Nom. officin. GENTIANA RUBRA.

Pars uſualis. *Radix.*

III. ULMUS.

Calyx campanulatus, quadri-quinque-octolobus, marcesſcens. Corolla nulla. Stamina quatuor-quinque-octo, ſaepius quinque. Fructus ſuborbicularis, compreſſus, membranaceus, medio incraſſatus, ſemine unico lenticulari.

I. ULMUS CAMPESTRIS.

Foliis baſi inaequalibus, oblongis, duplicato-ſerratis, floribus ſubſeſſilibus, conglomeratis, pentandris, fructibus glabris.

Arbor in Belgio frequens.

Nom. officin. ULMUS.

Pars uſualis. *Cortex interior.*

IV. IMPERATORIA.

Fructus compreſſus, planus, margine alatus, costis tribus obtuſis dorſalibus, valleculis ſulcatis. Involucrum nullum.

I. IM-

1. IMPERATORIA OSTRUTHIUM.

Caule tereti glabro, ſimpliciusculo, foliis ternato-pinnatis, foliolis late ovatis, lobatis, baſi inaequalibus, inciſo-ſerratis, vaginis amplis, floribus albidis.

Planta perennis, in montibus Helvetiae aliisque ſponte crescens.

Nom. officin. IMPERATORIA.

Pars uſualis. *Radix.*

V. DAUCUS.

Involucrum pinnatifidum. Flores ſubradiantes. Fructus oblongus, costis quinque aculeatis, angulis interpoſitis ſetoſis aut pariter aculeolatis. Albumen convolutum, aut ſemilunare.

1. DAUCUS CAROTA.

Hispidus, foliis tripinnatis opacis, foliolis pinnatifidis, laciniis lanceolatis cuspidatis, involucris involucellisque pinnatifidis, umbellam ſubaequantibus, aculeis rectis, latitudinem fructus aequantibus.

In campis pratisque crescit.

Nom. officin. DAUCUS SYLVESTRIS.

Partes uſuales. *Semen, Radix.*

VI. CONIUM.

Fructus ovatus, ſolidus, costis quinque ob-

tuſis, immaturis crenulatis. Involucra et involucella.

1. CONIUM MACULATUM.

Caule erecto, maculato, glabro, foliis tripinnatis, foliolis lanceolatis pinnatifidis, involucro utroque polyphyllo.

Planta biennis, in umbroſis, ad ſepes et vias, in locis ruderibus refertis, indigena.

Nom. officin. CICUTA.

Pars uſualis. *Herba.*

* CICUTA.

Involucrum ſubnullum. Fructus ovatus, ſolidus, quinque-costatus, cortice in valleculis prominulo.

1. CICUTA VIROSA.

Caule tereti, foliis tripinnatis, foliolis ſubternis, lanceolatis, acutis, ſerratis, umbellis oppoſitifoliis, involucellis lineari-ſetaceis.

Planta perennis, habitat in paludibus, et foſſis.

** AETHUSA.

Involucrum nullum. Involucella dimidiata. Fructus ovatus, ſolidus, cortice in costas quinque acutas turgeſcente.

1. AETHU-

1. AETHUSA CYNAPIUM.

Foliis conformibus.

Planta annua, frequens in Belgii aggeribus et ſylvis, inter olera et ad vias.

*** CHAEROPHYLLUM.

Fructus conicus, ecoſtatus, glaber, raphe ſulcata. Involucrum ſubnullum.

1. CHAEROPHYLLUM SYLVESTRE.

Caule ſulcato, ſtriato, glabro, geniculis tumidiuſculis, foliis tripartito-decompoſitis, foliolis ovatis, pinnatifidis, lacinulis oblongis obtuſiuſculis, extremis elongatis, umbellis terminalibus, pedunculis glabris.

Planta perennis ad vias et in locis Patriae cultis admodum frequens.

**** MYRRHIS, Moriſon.

Fructus pyramidatus, roſtratus, quinquecoſtatus, ſtylis coronatus. Involucrum nullum.

1. MYRRHIS TEMULA, Gaertner.

Caule aſpero maculato, geniculis tumidis, foliis ſubbipinnatis, utrinque hirſutiuſculis, foliolis ovato-oblongis, inciſis, denticulatis, involucellis reflexis, ciliatis, umbellis nubilibus cernuis.

Plan-

(a) Est *Chaerophyllum temulum* LINNAEI.

Planta biennis, habitat in locis umbrosis ad arvos, vias et sepes.

VIII. FERULA.

Fructus compressus planus, margine incrassato, costis dorsalibus tribus obtusis. Flores polygami. Involucra et involucella varia.

1. FERULA ASA FOETIDA.

Caule tereti, nudo, simplici, vaginato; foliis radicalibus ternato-compositis, foliolis oblongis sinuato-pinnatifidis oblongis, laciniis obtusis, antice excisis, involucro subnullo.

Planta perennis Persiae.

Pars usualis. *Gummi-resina*, cui nomen est *Asa foetida.*

2. FERULA PERSICA.

Caule tereti glauco, foliis ternato-supradecompositis, foliolis remotiusculis decursive pinnatis, laciniis lineari-lanceolatis, apice dilatatis, incisis, ciliatis, nervosis, umbella primordiali sessili, involucro involucellisque nullis.

Planta perennis in Persia.

Pars usualis. *Gummi-resina*, cui nomen est *Sagapenum?*

3. FERULA OPOPANAX, Sprengel (*a*).

Cau-

(*a*) *Pastinaca Opopanax* LINNAEI.

Caule teretiuſculo, inferne aspero, foliis ſubbipinnatis, foliolis inaequalibus cordatis, obtuſis, crenatis, involucris calycibusque obſoletis.

Planta perennis Europae meridionalis et Orientis.

Pars uſualis. *Gummi-reſina*, quae *Opopanax* dicitur?

IX. HERACLEUM.

Fructus compreſſus, membranaceo-marginatus, coſtis tribus dorſalibus obtuſis, vittis clavatis. Flores ſubradiantes. Involucrum ſubnullum.

1. HERACLEUM GUMMIFERUM, Willdenow (*a*).

Foliis ternato-pinnatifidis, ſubtus tomentoſis, extremo ſinuato lobato, laciniis obtuſis dentatis, ramis ſubverticillatis, involucris perſiſtentibus, floribus albidis radiantibus, fructibus pubeſcentibus.

Planta perennis in Pyrenaeis, Transſylvania, Tauria et Caucaſo.

Pars uſualis. *Gummi-reſinam*, quae in officinis *Gummi-*

(*a*) *Heracleum Pyrenaicum*, Cuſon. Conf. Willd. Hort. Berolin. t. 53 et 54. et C. SPRENGEL in Caroli a Linné ſyſtem. vegetabil. concinnato a JOS. AUG. SCHULTES. Vol. VI. pag. 577 et 578. Stuttgardtiae 1820. 8o.

mi ammoniaci nomine venditur, ex hac ſpecie colligi, ſuſtinuit WILLDENOVIUS; ſed originis dubiae est.

X. LIGUSTICUM.

Fructus ovato-oblongus, coſtis quinque acutis, valleculis ſulcatis. Involucrum et involucella polyphylla.

1. LIGUSTICUM LEVISTICUM.

Caule tereti ſtriato, foliis ternato-decompoſitis, foliolis obovatis, cuneatis, inciſo-dentatis, lucidis, ſubcoriaceis.

Planta perennis, in collibus maritimis ſponte nascens.

Nom. officin. LEVISTICUM.

Partes uſuales. *Radix*, *Semen*.

XI. ANGELICA.

Fructus ſubcompreſſus, margine alatus, coſtis tribus dorſalibus, acutis, ſubalatis, valleculis ſulcatis. Involucrum nullum.

1. ANGELICA ARCHANGELICA.

Caule glabro, tereti, ſtriato, foliis bipinnatis, foliolis ſubcordatis, lobatis, argute ſerratis, extremo trilobo, floribus viridi-luteis.

Plan-

Planta biennis, in Lapponia, Norvegia, Islandia, cet. ſponte crescens.

Nom. officin. ANGELICA.

Pars uſualis. *Radix.*

* ANGELICA SYLVESTRIS.

Caule ſuperne cano pubeſcente, foliis bipinnatis, foliolis ovatis, acutis, ſerratis, baſi ſubbilobis, floribus albidis.

Planta perennis, in pratis udis totius Europae.

XII. CUMINUM.

Involucrum utrumque oligophyllum. Fructus ovato-prismaticus, glabriuſculus, utriculatus, ſeptemcoſtatus, valleculis vittatis.

1. CUMINUM CYMINUM.

Planta annua orientalis, culta in inſulis Maltha et Sicilia.

Nom. officin. CUMINUM.

Pars uſualis. *Semen.*

XIII. OENANTHE.

Involucrum ſubnullum. Involucella polyphylla. Flosculi ſaepe radiantes polygami. Fructus prismaticus, acute coſtatus, calyce, ſtylisque coronatus.

1. OENAN-

1. OENANTHE PHELLANDRIUM, Lamarck (*a*).

Caule ramoſo, fiſtuloſo, ſulcato, foliis ſubtripinnatis, foliolis divaricatis, ovatis, inciſo-dentatis, pedunculis axillaribus, involucro nullo.

Planta biennis, in foſſis et ad lacus frequens, indigena.

Nom. officin. PHELLANDRIUM, ſeu FOENICULUM AQUATICUM.

Pars uſualis. *Semen.*

XIV. CORIANDRUM.

Involucrum nullum. Flores radiantes. Fructus globoſus vix coſtatus, raphe membrana obducta vittata. Albumen ſemilunare.

1. CORIANDRUM SATIVUM.

Caule tereti, foliis decompoſitis nitidis, foliolis linearibus, obtuſiuſculis, floribus albis radiantibus.

Planta annua Europae meridionalis.

Nom. officin. CORIANDRUM.

Pars uſualis. *Semen.*

XV. CHAEROPHYLLUM.

Fructus conicus, ecoſtatus, glaber, raphe ſulcata. Involucrum ſubnullum.

1. CHAE-

(*a*) *Phellandrium aquaticum* LINNAEI.

1. CHAEROPHYLLUM SATIVUM, Bauhinus (*a*).

Caule glabro, foliis tripartito-decompoſitis, foliolis ovatis pinnatifidis, laciniis obtuſiuſculis, pedunculis axillaribus ternis pubescentibus.

Planta annua, copioſe culta.

Nom. officin. CEREFOLIUM.

Pars uſualis. *Herba recens.*

XVI. PASTINACA.

Fructus ovalis, compreſſus, planus, margine alatus, dorſo triſtriatus, raphe biſtriatus. Involucrum nullum.

1. PASTINACA ANETHUM, Sprengel (*b*).

Caule ſimplici, tereti, foliis decompoſitis, glabris, glaucis, foliolis lineari-filiformibus, integerrimis.

Planta annua, in meridionali Europa ſponte nascens.

Nom. officin. ANETHUM.

Partes uſuales. *Herba, Semen.*

XVII. MEUM, Tournefort.

Involucrum nullum. Involucella oligophylla. Fructus prismaticus, acute coſtatus.

1. MEUM FOENICULUM, Sprengel (*c*).

Cau-

(*a*) *Scandix Cerefolium* LINNAEI.

(*b*) *Anethum graveolens* LINNAEI.

(*c*) *Anethum Foeniculum* LINNAEI.

Caule ſuperne ramoſo, foliis biternatis, foliolis lineari-filiformibus glaucis, pinnatifido-trifidis, involucellis nullis.

Planta biennis inter ſegetes Belgii meridionalis.

Nom. officin. FOENICULUM.

Partes uſuales. *Radix*, *Semen*.

α. MEUM FOENICULUM, *varietas germanica*.

A praecedenti, ſeminibus duplo minoribus, discernendum.

XVIII. CARUM.

Involucrum monophyllum, involucella nulla. Fructus oblongo-prismaticus, coſtis tribus dorſalibus obtuſiuſculis, valleculis ſulcatis, ſtriatis, raphe lata, utrinque coſtata.

1. CARUM CARVI.

Foliis bipinnatis glabris, foliolis infimis decuſſatis, floribus albis.

Planta biennis in Europae pratis.

Nom. officin. CARVI.

Pars uſualis. *Semen*.

XIX. SISON.

Fructus ovatus ſolidus, dorſo tricoſtato, valleculis convexis, lateribus contractis, raphe excavata. Involucrum oligophyllum aut nullum.

1. SI-

1. SISON ANISUM, Sprengel (*a*).

Caule ſimplici, foliis radicalibus longe petiolatis, cordato-ſubrotundis, lobatis, inciſo-ſerratis, ſuperioribus pinnatifidis, lanceolatis, cuneatis, ſummis trifidis, linearibus, integerrimis, involucro nullo.

Planta annua Aegyptiaca.

Nom. officin. ANISUM.

Pars uſualis. *Semen.*

XX. APIUM.

Involucra et involucella nulla. Fructus ovatus ſolidus, obtuſe coſtatus.

1. APIUM PETROSELINUM.

Caule erecto ramoſo, angulato, foliis decompoſitis, lucidis, foliolis inferioribus ovato-cuneatis trifido-dentatis, ſuperioribus lanceolatis, integriuſculis, involucellis filiformibus.

Planta biennis, in Sardinia et Sicilia indigena.

Nom. officin. PETROSELINUM.

Partes uſuales. *Radix et Herba, eaeque recentes, Semen.*

PEN-

(*a*) *Pimpinella Aniſum* LINNAEI.

PENTANDRIA.

TRIGYNIA.

I. RHUS.

Flores ſubdiclini. Calyx quinquefidus. Petala quinque vel nulla. Stamina brevia. Stigmata tria. Bacca monoſperma.

1. RHUS TOXICODENDRON.

Foliis ternatis, foliolis amplis, ovatis, acutis, membranaceis, ſubangulatis, axillis venarum ſubtus barbatis, floribus dioecis, racemoſis, caule ſubradicante.

Frutex Americae ſeptentrionalis, nobis cultus.

Nom. officin. TOXICODENDRON VULGARE.

Partes uſuales. *Folia.*

II. SAMBUCUS.

Calyx quinquedentatus, corolla rotata. Stigmata tria. Bacca globoſa, ſubtriſperma.

1. SAMBUCUS NIGRA.

Caule arboreo, foliis pinnatis, foliolis oblongo-lanceolatis, ſerrulatis, utrinque glabris, cymis ramoſis nudis, ſtipulis ſubnullis.

Arbor in multis locis Patriae ſponte nascens, frequens culta.

Nom.

Nom. officin. SAMBUCUS.

Partes uſuales. *Cortex interior, ſive medius, Flores, Baccae recentes.*

III. TAMARIX.

Calyx quinquepartitus. Petala quinque, obtuſa. Stamina quinque aut decem, ſubinde monadelpha. Capſula trivalvis, valvis placentiferis. Semina comoſa.

1. TAMARIX GALLICA.

Floribus pentandris, bracteis pedicello brevioribus, ſpicis lateralibus ſubpaniculatis, foliis lanceolato-ſubulatis, ſubamplexicaulibus.

Arbor in Hispania, Gallia et Italia crescens.

2. TAMARIX GERMANICA.

Floribus decandris monadelphis, ſpicis terminalibus ſolitariis, bracteis pedicello longioribus, foliis linearilanceolatis, ſesſilibus.

Frutex, ſponte crescens in Germaniae locis inundatis, ad ripas Rheni et Danubii, inque Aſiae montibus Davuriae et Caucaſi.

Nom. officin. TAMARISCUS.

Pars uſualis. *Cortex.*

PENTANDRIA

PENTAGYNIA.

I. LINUM.

Calyx pentaphyllus. Petala quinque cum ſtaminibus annulo perigyno inſerta. Filamenta ſterilia cum fertilibus alterna. Capſula decemlocularis, loculis monoſpermis, valvis introflexis.

1. LINUM USITATISSIMUM.

Foliolis calycinis ovatis, acutis, trinervibus, petalis crenatis, foliis lanceolatis, caule ſubſolitario.

Planta annua ſativa, copioſe culta.

Nom. officin. LINUM.

Partes uſuales. *Semen*, et, quod ex ſeminibus habetur, *Oleum*, et *Farina*.

CLAS-

CLASSIS VI.

HEXANDRIA

MONOGYNIA.

I. ALLIUM.

Flores umbellati, terminales, e ſpatha bivalvi orti. Corolla ſexpartita, ſaepius patens. Stigma ſimplex. Capſulae triquetrae, loculis profunde bipartitis, axi filiformi post valvularum dehiſcentiam ſuperſtite.

1. ALLIUM SATIVUM.

Umbella bulbifera globoſa, foliis linearibus, integerrimis, bulbo ſobolifero.

Planta perennis in pratis Belgii meridionalis et Sicilia ſponte provenit.

Nom. officin. ALLIUM.

Pars uſualis. *Bulbus.*

2. ALLIUM CEPA.

Umbella capſulifera globoſa, ſcapo fiſtuloſo inferne ventricoſo, foliis teretibus longiore.

Planta biennis, in hortis culta.

Nom. officin. CEPA.

Pars uſualis. *Bulbus recens.*

II. LILIUM.

Corolla campanulata, laciniis ſex profundis, rectis aut extus revolutis, ſupra ſulco longitudinali fimbriato vel nudo ad baſin excavatis.

I. LILIUM CANDIDUM.

Foliis lanceolatis, ſparſis, undulatis, floribus pedunculatis, terminalibus, intus glabris.

Planta perennis in Syria, affinibus locis et Helvetia; frequens culta in hortis.

Nom. officin. LILIUM ALBUM.

Partes uſuales. *Bulbus*, *Petala recentia.*

III. SCILLA.

Corolla ſexpartita, ſaepius patens, decidua. Filamenta glabra, filiformia. Semina rotundata. Radix bulboſa.

I. SCILLA MARITIMA.

Foliis lanceolatis, racemo conico elongato, bracteis refractis, ſubtus calcaratis.

Planta perennis, in oris maris mediterranei frequens.

Nom. officin. SCILLA.

Pars uſualis. *Bulbus.*

IV. ALOE.

Calyx petaloideus erectus, baſi ſtaminifer. Capſula parum coſtata.

1. ALOE SOCOTRINA, Haworth.

Caule fenecto ſuffruticoſo, percraſſo, dichotomo, foliis enſiformibus, vireſcentibus, ſuperne ſubincurvatis, ſerraturis marginalibus parvis, albis, numeroſis.

Perennis Indiae orientalis et Africae auſtralis.

2. ALOE SPICATA, Thunberg.

Caulescens, foliis planis, enſiformibus, dentatis, floribus ſpicatis, campanulatis, horizontalibus.

Frutex in Promontorii bonae ſpei interioribus regionibus.

Pars uſualis. *Extractum ſiccum*, quod Pharmacopoeorum *Aloë ſuccotrina* et *capenſis*.

3. ALOE VULGARIS, Decandolle (*a*).

Caule ſuffruticoſo, propaginibus radicalibus, foliis enſiformibus ſinuato-ſerratis, corollis luteis.

Frutex in Barbados, Jamaica, Promontorio bonae ſpei.

Pars uſualis. *Extractum ſiccum*, vulgo *Aloë hepatica*.

V. ACO-

(*a*) Est *Aloe barbadenſis* HAWORTHII. Conf. Synopſis plantarum ſucculentarum cet. Auctore A. W. HAWORTH. Norimbergae. 1819. pag. 85. 8o.

V. ACORUS.

Flores in ſpicam teretem lateralem dispoſiti. Corollae hexapetalae glumaceae, nudae. Stylus nullus. Capſula triangularis, trilocularis.

1. ACORUS CALAMUS.

Scapi mucrone longisſimo, foliaceo.

Planta perennis, in foſſis, piscinis, ſtagnisque crebra.

Nom. officin. ACORUS, CALAMUS AROMATICUS.

Pars uſualis. *Radix.*

VI. CALAMUS.

Calyx hexaphyllus. Corolla nulla. Bacca exarida, monoſperma, retrorſum imbricata.

1. CALAMUS DRACO, Willdenow (*a*).

Aculeis caudicis appreſſis, frondium patentibus, ſpadice erecto.

Fru-

(*a*) Praeter hanc ſpeciem, multas alias plantas *Sanguinem Draconis* praebere, pasſim legimus. Praecipuae ſunt:

Pterocarpus Draco.

Dracaena Draco.

Dracaena ijuccaeformis Forst.

Dalbergia monetaria, et generis

Croton variae ſpecies.

Frutex Indiae orientalis.

Pars uſualis. *Reſina*, quae *Draconis ſanguis* officinarum est.

HEXANDRIA
DIGYNIA.

I. ORYZA.

Calyx biglumis, uniflorus. Corolla bivalvis, aequalis, nunc mutica, nunc ariſtata.

1. ORYZA SATIVA.

Planta annua aethiopica? colitur in Indiae paludoſis, in America et Italia.

Nom. officin. ORYZA.

Pars uſualis. *Semen decorticatum.*

HEXANDRIA
TRIGYNIA.

I. RUMEX.

Calyx ſexpartitus, laciniis interioribus perſiſtentibus, ſemen triquetrum tegentibus, exterioribus minoribus reflexis.

1. RUMEX ACUTUS.

Floribus hermaphroditis, valvulis oblongis, ſub-

dentatis, graniferis, foliis cordato-oblongis, acuminatis, racemis folioſis.

Planta perennis, in locis humidis.

Nom. officin. LAPATHUM ACUTUM, OXYLAPATHUM.

Pars uſualis. *Radix.*

2. RUMEX AQUATICUS.

Floribus hermaphroditis, valvulis ovatis, obſolete graniferis, integerrimis, foliis cordato-lanceolatis, acutis.

Planta perennis, ad ripas fluviorum et in paludibus frequens.

Nom. officin. BRITANNICA HERBA, ſive HYDROLAPATHUM.

Pars uſualis. *Radix.*

3. RUMEX ACETOSA.

Floribus dioecis, foliis oblongis, ſagittatis, hamis retrorſum porrectis, valvulis non graniferis, integerrimis.

Planta perennis, in pratis et pascuis frequens.

Nom. officin. ACETOSA VULGARIS.

Partes uſuales. *Folia recentia.*

II. COLCHICUM.

Corolla tubuloſa, longa, bulbo innaſcens, lim-

limbo campanulato ſexpartito. Stamina apici tubi inſerta; antherae oblongae verſatiles. Styli longisſimi. Stigmata adunca. Capſula trilobata, lobis inflatis, erectis, baſi coalitis, polyſpermis.

1. COLCHICUM AUTUMNALE.

Bulbo ſubmultifloro, floribus folia longe praeëuntibus, foliis planis lato-lanceolatis.

Planta perennis, in pratis Belgii humidis.

Nom. officin. COLCHICUM.

Pars uſualis. *Radix recens.*

CLASSIS VII.

HEPTANDRIA

MONOGYNIA.

I. AESCULUS.

Calyx campanulatus, quinquedentatus. Petala quinque inaequalia. Stamina diſtincta, inaequalia, declinata. Stylus ſubulatus. Capſula coriacea, echinata, trilocularis, trivalvis.

I. AESCULUS HIPPOCASTANUM.

Foliis digitatis, ſeptenis, corollis pentapetalis, patulis.

Aſiae ſeptentrionalis indigena arbor, nunc vero in Belgio ſpontanea.

Nom. officin. HIPPOCASTANUM.

Pars uſualis. *Cortex.*

CLAS-

CLASSIS VIII.

OCTANDRIA

MONOGYNIA.

I. AMYRIS.

Calyx quadridentatus. Petala quatuor, oblonga, patentia. Stigma ſubcapitatum. Bacca drupacea, monoſperma per abortum.

1. AMYRIS ELEMIFERA.

Foliis ternatis, quinato-pinnatisque, ſubtus tomentoſis.

Arbor orientalis.

Pars uſualis. *Reſina*, *Elemi* dicta.

2. AMYRIS KATAF, Forskal.

Foliis ternatis, apice ſerratis, pedunculis confertis, bifidis.

Arbor aethiopica.

Pars uſualis. *Gummi-reſina*, cui *Myrrha* nomen?

II. DAPHNE.

Calyx nullus. Corolla tubuloſa, quadriloba, ſtamina includens. Drupa monoſperma.

1. DAPHNE MEZEREUM.

Flo-

Floribus lateralibus, ſesſilibus, ternis, foliis lanceolatis, post flores evolutis, deciduis.

Frutex in Gallia, Hispania, Germania et Belgio.

Nom. officin. MEZEREUM.

Pars uſualis. *Cortex.*

OCTANDRIA TRIGYNIA.

I. POLYGONUM.

Calyx nullus. Corolla quadri-ſexpartita, perſiſtens. Stamina quinque-novem, ſaepius octo. Stigmata duo aut tria. Semen unicum, ovatum aut triangulare.

1. POLYGONUM BISTORTA.

Caule ſimplicisſimo, monoſtachyo, foliis ovatis, undulatis, radicalibus in petiolum decurrentibus.

Planta perennis, in pratis et pascuis montoſis.

Nom. officin. BISTORTA.

Pars uſualis. *Radix.*

II. COCCOLOBA.

Calyx quinquepartitus, coloratus, demum baccatus. Corolla nulla. Bacca calycina, monoſperma.

1. COC-

1. COCCOLOBA UVIFERA.

Foliis cordato-ſubrotundis, nitidis.

Arbor Americae ſeptentrionalis.

Pars uſualis. Succus induratus, *Kino*, ſeu *Gummi kino*, ſeu *Gummi gambienſe* dictus?

CLAS-

CLASSIS IX.

ENNEANDRIA

MONOGYNIA.

I. LAURUS.

Calyx nullus. Corolla quadri-ſexfida, aequalis. Stamina duplici ſerie dispoſita, exteriora omnia fertilia, interiora alterna ſterilia, alterna fertilia et baſi biſappendiculata aut biglanduloſa. Drupa carnoſa.

1. LAURUS CINNAMOMUM.

Foliis trinerviis, ovato-oblongis, nervis verſus apicem evanescentibus.

Arbor Ceylonenſis.

Nom. officin. CINNAMOMUM CEYLONENSE.

Partes uſuales. *Cortex*, et, quod ex cortice deſtillatur, *Oleum.*

* LAURUS CASSIA.

Foliis triplinerviis, lanceolatis.

Frutex in Malabaria, Sumatra et Java habitans.

2. LAURUS CAMPHORA.

Foliis triplinerviis, lanceolato-ovatis.

Arbor Indiae orientalis, praeſertim in Japonia frequens.

Pars uſualis. *Camphora.*

3. LAU-

3. LAURUS NOBILIS.

Foliis lanceolatis, venoſis, perennantibus, floribus quadrifidis, dioecis.

Arbor Europae meridionalis, in hybernaculis culta.

Nom. officin. LAURUS.

Partes uſuales. *Folia, Baccae, Oleum, laurinum dictum.*

4. LAURUS SASSAFRAS.

Foliis integris, trilobisque.

Arbor Americae ſeptentrionalis.

Nom. officin. SASSAFRAS.

Partes uſuales. *Lignum cum cortice.*

5. LAURUS CULILABAN.

Foliis triplinerviis, oppoſitis.

Arbor diffuſe per Inſulas orientales crescens.

Nom. officin. CULILABAN.

Partes uſuales. *Cortex*, et, quod inde habetur, *Oleum.*

ENNEANDRIA TRIGYNIA.

I. RHEUM.

Calyx nullus. Corolla ſexfida, perſiſtens. Semen unicum, triquetrum.

1. RHEUM PALMATUM.

Foliis palmatis, acuminatis, ſcabriusculis, ſinu baſeos dilatato, petiolis ſupra obſolete ſulcatis, margine rotundatis.

Planta perennis, habitans in China ad murum.

Nom. officin. RHABARBARUM, RHEUM.

Pars uſualis. *Radix.*

CLAS-

CLASSIS X.

DECANDRIA

MONOGYNIA.

I. CASSIA.

Calyx quinquepartitus. Petala inaequalia. Stamina inaequalia, tria inferiora longiora, tria ſuprema abortiva. Antherae apice dehiscentes. Legumen varium (*a*).

1. CASSIA SENNA (*b*).

Foliis quadri-quinquejugis, foliolis ovali-lanceolatis, acutis, petiolo glanduloſo, leguminibus plano-compreſſis, rectiuſculis, medio tumidulis.

Suffrutex, in Aegypto ſuperiori prope Syenam et in Nubia ſponte nascens.

Nom. officin. SENNA.

Partes uſuales. *Folia, Folliculi.*

2. CASSIA FISTULA (*c*).

Foliis quinquejugis, foliolis ovatis, acuminatis, pe-

(*a*) Conf. Histoire naturelle et médicale des Caſſes, par L. TH. FR. COLLADON. pag. 81. Montpellier 1816. 4°.

(*b*) *Caſſia lanceolata* COLLADONII. Conf. l. c. pag. 93.

(*c*) Est *Cathartocarpus Fistula* PERSOONII. Vid. Synopſis plantarum. Part. I. pag. 459.

petiolis eglanduloſis, leguminibus teretibus, rectis, ſubovatis, laevibus.

Arbor in Arabia et utraque India ſponte crescens.

Nom. officin. CASSIA FISTULARIS.

Pars uſualis. *Fructus.*

II. MYROXYLON.

Calyx campanulatus, quinquedentatus. Petala quinque, ſupremo reliquis majore. Germen corolla longius. Legumen apice monoſpermum.

1. MYROXYLON PERUIFERUM.

Foliis abrupte pinnatis, bijugis, foliolis ſuboppoſitis.

Arbor Americae meridionalis, in calidioribus Terrae Firmae locis frequens.

Pars uſualis. *Balſamum*, quod *peruvianum*, ſeu *indicum nigrum* dicitur.

III. GUAJACUM.

Calyx quinquepartitus, obtuſus. Petala quinque, calyci inſerta. Capſula ſubſtipitata quinquelocularis, quinqueangulata, aut abortu bivel trilocularis. Semina in loculis ſolitaria, axi affixa, pendula.

1. GUA-

1. GUAJACUM OFFINALE.

Foliis bijugis, foliolis obovatis ovalibusve, obtusis.

Arbor Indiae occidentalis et Americae meridionalis.

Nom. officin. GUAJACUM.

Partes usuales. *Lignum*, *Cortex*, *Gummi-resina.*

IV. RUTA.

Calyx persistens quadripartitus, rarius tri-vel quinquepartitus. Petala concava. Stamina petalorum numero dupla. Pori nectariferi ad basin receptaculi tot, quot stamina. Capsula subglobosa, lobata. Semina angulo interno affixa.

1. RUTA GRAVEOLENS.

Foliis supradecompositis, lobis oblongis, terminali obovato, petalis integris aut subdentatis.

Fruticulus in Helvetia sponte nascens, cultus in hortis.

Nom. officin. RUTA.

Pars usualis. *Herba.*

V. TOLUIFERA.

Calyx quinquedentatus, campanulatus. Petala quinque, infimo maximo, obcordato. Stylus nullus.

1. TOLUIFERA BALSAMUM.

Frutex crescens in Americae provincia Tolu.

Pars uſualis. *Balſamum*, quod *tolutanum* vocatur.

VI. HAEMATOXYLON.

Calyx quinquepartitus. Petala quinque. Capſula lanceolata, unilocularis, trivalvis, valvis navicularibus.

1. HAEMATOXYLON CAMPECHIANUM.

Arbor Americae calidioris.

Pars uſualis. *Campechenſe lignum.*

VII. QUASSIA.

Calyx parvus quinquepartitus. Petala quinque erecta, calyce longiora. Stamina baſi ſquamulis aucta. Stylus ſimplex vel apice partitus.

1. QUASSIA AMARA (*a*).

Flo-

(*a*) Species haec rariſima, ligni amaritie, reliquas longe antecellit. Lignum autem hoc vulgo non venale prostat. Quod in officinis habetur, a *Quaſſia excelſa*, quae minus amara, colligitur. Vid. *Act. Soc. Hiſt. Nat. Hafn.* Tom. 1. p. 2. pag. 68. et WILLDENOW, l. c. Tom. 2. Part. 1. pag. 568. Volunt alii ex *Picrania* proprio plantarum genere, quasſiae lignum colligi: at vero celeberrimus SWARTZ ob ſimilitudinem fructus et amaritiem *Quaſſiae* generi hanc iterum ſubjunxit *Picraniam.* Act. Holm. 1788. pag. 302. t. 8.

Floribus hermaphroditis, foliis impari-pinnatis, foliolis oppoſitis, ſeſſilibus, petiolo alato, racemis terminalibus.

Frutex ſurinamenſis.

2. QUASSIA EXCELSA, Swartz (*a*).

Floribus polygamis, pentandris, paniculatis, ſtigmate trifido, foliis impari-pinnatis, foliolis oppoſitis, petiolatis.

Frutex Indiae occidentalis, in ſylvis ſubmontoſis ſponte crescens.

Nom. officin. QUASSIA.

Pars uſualis. *Lignum.*

* RHUS (*b*).

Calyx quinquepartitus. Petala quinque. Drupa foeta nuce monoſperma.

1. RHUS METOPIUM.

Foliis pinnatis, integerrimis, foliolis ſubrotundis, glabris.

Frutex americanus.

3. QUASSIA SIMARUBA (*c*).

Flo-

(*a*) *Simaruba excelſa* CANDOLLII. Vid. Prodromum ſyſtematis naturalis Regni vegetabilis. Part. I. pag. 733.

(*b*) Ad *Pentandriam Trigyniam* pertinet hoc genus.

(*c*) *Simaruba officinalis* CANDOLLII. Vid. Prodrom. cit. pag. 733.

Floribus monoecis, maſculis decandris, ſtigmate quinquepartito, foliis abrupte pinnatis, foliolis alternis, ſubpetiolatis, ſubtus pubescentibus.

Arbor in arenoſis Guianae et inſula Caribaeorum.

Nom. officin. SIMARUBA.

Pars uſualis. *Cortex.*

VIII. COPAÏFERA.

Calyx nullus. Petala quatuor. Legumen ovatum. Semen unicum, arillo ovato.

1. COPAÏFERA OFFICINALIS.

Arbor Americae meridionalis, in Braſilia frequens.

Pars uſualis. *Copaïvae balſamum.*

IX. ARBUTUS.

Calyx minimus quinquepartitus. Corolla ovata, limbo parvo, quinquefido, revoluto. Bacca quinquelocularis.

1. ARBUTUS UVA URSI.

Caulibus procumbentibus, foliis integerrimis.

Fruticulus Europae ſeptentrionalis, in hortis cultus.

Nom. officin. UVA URSI.

Partes uſuales. *Folia.*

* VACCINIUM.

Calyx ſuperus, ovario adhaerens, integer vel quadridentatus. Corolla campanulata, quadrifida. Filamenta receptaculo inſerta. Bacca globoſa, umbilicata, quadrilocularis, polyſperma.

1. VACCINUM VITIS IDAEA.

Racemis terminalibus, nutantibus, foliis obovatis, perſiſtentibus, revolutis, integerrimis, ſubtus punctatis.

Fruticulus in Patriae ſylvis ſponte crescens.

X. STYRAX.

Calyx urceolatus, integer aut quinquefidus. Corolla imo calyci inſerta, urceolata, limbo brevi tri-ſeptemlobo. Filamenta baſi coalita. Drupa exſucca coriacea, nuce oſſea, ſphaerica, monoſperma.

1. STYRAX OFFICINALE.

Foliis ovatis, ſubtus villoſis, racemis ſimplicibus, folio brevioribus.

Arbor in Archipelagi inſulis et Oriente frequens.

Pars uſualis. *Reſina*, quae *Styrax* dicitur *in maſſis.*

2. STYRAX BENZOÏN, Dryander.

Foliis oblongis, acuminatis, ſubtus tomentoſis, racemis compoſitis, longitudine foliorum.

Arbor in Sumatra et Java ſponte nascens.

Pars uſualis. *Reſina*, quae *Benzoë* dicitur, ſeu *Gummi Benzoës*, ſeu *dulcis*.

XI. BOSWELLIA, Roxburgh.

Calyx quinquedentatus. Corolla pentapetala. Nectarium glanduloſum, crenulatum, ad germinis baſin. Stigma trilobum. Capſula triangularis, trilocularis, trivalvis. Semen unum alatum in quovis loculamento.

1. BOSWELLIA SERRATA, Roxburgh (*a*).

Foliis pinnatis, foliolis ſerratis, villoſis, racemis ſimplicibus, axillaribus, petalis ovatis, filamentis margini exteriori nectarii inſertis.

Arbor in montibus Indiae orientalis.

Pars uſualis. *Reſina*, cui nomen *Olibanum*.

DECANDRIA

DIGYNIA.

I. SAPONARIA.

Calyx tubuloſus, quinquedentatus, baſi nudus. Pe-

(*a*) Conf. Aſiatic Reſearches. Volum IX. pag. 376—382. London 1809. 8°.

Petala quinque, unguiculata, ungue calycem aequante. Capſula oblonga, unilocularis.

1. SAPONARIA OFFICINALIS.

Floribus fasciculato-paniculatis, calycibus teretibus, villoſis, luteolis, petalorum appendicibus linearibus, foliis ovato-lanceolatis, acutis obtuſisve.

Planta perennis in locis ſiccioribus, in hortis culta.

Nom. officin. SAPONARIA.

Partes uſuales. *Radix*, *Herba.*

II. DIANTHUS.

Calyx cylindricus, longus, coriaceus, monophyllus, baſi ſquamis quatuor-octo. Petala quinque, unguiculata. Capſula cylindrica, unilocularis, apice dehiscens.

1. DIANTHUS CARYOPHYLLUS, *var. rubra.*

Floribus ſolitariis, ſquamis calycinis ſubrhombeis, breviſſimis, petalis crenatis imberbibus, foliis lineari-ſubulatis, canaliculatis, glaucis.

Planta perennis in Italia et Alpibus helveticis, nobis culta.

Partes uſuales. *Flores*, *tunica* dicti.

DECANDRIA

PENTAGYNIA.

I. SEDUM.

Calyx quadri-ſeptemfidus, ſaepius quinquefidus. Petala et germina totidem. Stamina numero petalorum dupla, vulgo decem. Squamae ovatae, obtuſae, integrae.

1. SEDUM ACRE.

Foliis ſubovatis, adnato-ſeſſilibus, gibbis, erectiusculis, alternis, cyma trifida.

Planta perennis, paſſim in Patria occurrit.

Nom. officin. SEDUM ACRE.

Pars uſualis. *Herba recens.*

II. OXALIS.

Calyx pentaphyllus. Petala unguibus connexa. Stamina inaequalia, quinque breviora exteriora baſi connata. Capſula angulis elaſtice dehiſcens, pentagona. Semina ſubarillata.

1. OXALIS ACETOSELLA.

Acaulis, radice dentata repente, foliolis obcordatis puberulis, ſcapo foliis longiore, ſupra medium bi-

bibracteolato, petalis ovalibus obtusis, stylis stamina interiora aequantibus aut superantibus.

Planta perennis, in sylvis muscosis et ad sepes umbrosas.

Nom. officin. ACETOSELLA.

Partes usuales. *Herba recens*, et ex ea praeparatum *Superoxalas potassae.*

2. OXALIS CORNICULATA.

Caule ramoso, decumbente, radicante, pedunculo subumbellato, petiolis breviore, foliolis ternatis, obcordatis, petalis emarginatis, stylis longitudine staminum interiorum.

Planta annua, sponte crescens in Anglia, Hispania, Italia, Helvetia cet.

Pars usualis. *Superoxalas potassae.*

CLAS-

CLASSIS XI.

DODECANDRIA

MONOGYNIA.

I. ASARUM.

Calyx campanulatus tri-vel-quadrifidus, germini insidens. Corolla nulla. Antherae mediis filamentis adnatae. Stylus brevis; stigma stellatum. Capsula coriacea, sexlocularis.

1. ASARUM EUROPAEUM.

Foliis binis reniformibus, obtusis, subhirsutis.

Planta perennis Europae.

Nom. officin. ASARUM.

Partes usuales. *Radix*, *Folia.*

II. CANELLA, Gaertner.

Calyx pentaphyllus. Petala quinque subcoriacea. Stamina in tubum coalita; antherae quindecim, sulcum simulantes. Bacca trilocularis, abortu quandoque unilocularis, loculis mono-vel dispermis.

1. CANELLA ALBA, Murray.

Arbor in America meridionali vulgaris.

Nom.

Nom. officin. CANELLA ALBA.

Pars uſualis. *Cortex internus.*

DODECANDRIA DIGYNIA.

I. AGRIMONIA.

Calyx quinquelobus, involucello bilobo cinctus. Petala quinque. Semina duo, calyce capſulaeformi incluſa.

1. AGRIMONIA EUPATORIA.

Calycibus fructigeris hiſpidis, foliis caulinis pinnatis, foliolis oblongo-ovatis, ſpicis pedunculatis, petalis calyce duplo longioribus.

Planta perennis, in pratis apricis, ad ſepes et vias.

Nom. officin. AGRIMONIA.

Pars uſualis. *Herba.*

DODECANDRIA TRIGYNIA.

I. EUPHORBIA.

Corolla tetra-vel pentapetala, calyci inſidens. Calyx monophyllus, ventricoſus. Capſula exſer-

ſerta, tricocca. (Plantae lactescentes. Stamina diverſo tempore asſurgentia.)

1. EUPHORBIA OFFICINARUM.

Aculeata, nuda, multangularis, aculeis geminatis.

Frutex Africae meridionalis.

Pars uſualis. *Gummi-reſina*, *Euphorbii* nomine cognita.

DODECANDRIA DODECAGYNIA.

1. SEMPERVIVUM.

Calyx ſex-duodecimfidus, petala et ovaria totidem. Stamina petalorum numero dupla. Squamae ovatae, latae, emarginatae aut lacerae.

1. SEMPERVIVUM TECTORUM.

Foliis ciliatis, propaginibus patulis, floribus dodecandris, dodecagynis, ſquamis cuneiformibus, carunculatis.

Planta perennis in tectis, muris et rupibus.

Nom. officin. SEDUM MAJUS.

Partes uſuales. *Folia recentia.*

CLAS-

CLASSIS XII.

ICOSANDRIA

MONOGYNIA.

I. MYRTUS.

Calyx quinquefidus, ſuperus. Petala quinque. Stigma obtuſum. Bacca ovata, ſphaerica, limbo calycis coronata, bi-vel-trilocularis, polyſperma. Semina ſubosſea.

1. MYRTUS PIMENTA.

Foliis alternis.

Arbor in inſulis Antiliis, praeſertim Jamaica.

Nom. officin. PIMENTA.

Pars uſualis. *Fructus.*

II. EUGENIA.

Calyx infundibiliformis, quadrifidus. Petala quatuor. Bacca ſicca, ovata, uni-bilocularis, laciniis calycis coronata.

1. EUGENIA CARYOPHYLLATA, Thunberg (*a*).

Foliis integerrimis, oblongis, acutiuſculis, pedun-

cu-

(*a*) Est *Caryophyllus aromaticus* Linnaei.

culis trichotomis, paniculis axillaribus et terminalibus, calycibus repandis, fructu elliptico.

Arbor Indiae orientalis, in insulis Moluccis frequens.

Nom. officin. CARYOPHYLLUS AROMATICUS.

Partes usuales. *Flores non aperti, siccati, Oleum.*

III. EUCALYPTUS, l'Heritier.

Calyx superus, persistens, truncatus, ante anthesin tectus operculo integro, deciduo. Corolla nulla. Capsula quadrilocularis, apice dehiscens, polysperma. (Folia plerisque obliqua).

1. EUCALYPTUS RESINIFERA, Smith.

Operculo conico, tereti, coriaceo, calyce duplo longiore, umbellis lateralibus solitariis.

Arbor novae Hollandiae.

Pars usualis. Succus induratus, *Kino*, seu *Gummi kino*, seu *Gummi gambiense* dictus?

IV. PUNICA.

Calyx coriaceus, coloratus, quinque-sexfidus, superus. Petala quinque aut sex. Stigma capitatum. Bacca sphaerica cortice coriaceo, calyce coronata, transverse bipartita, supra septem-

tem-novemlocularis, infra tri-quadrilocularis, polyſperma.

1. PUNICA GRANATUM.

Foliis lanceolatis, caule arboreo.

Arbor praeſertim in Hispania frequens.

Nom. officin. GRANATUM.

Partes uſuales. *Cortex fructus*, *Flores*, *balauſtiorum* dicti.

V. AMYGDALUS.

Calyx quinquefidus, inferus. Petala quinque. Drupae nux poris perforata.

1. AMYGDALUS COMMUNIS.

Foliorum ſerraturis infimis glandulofis, floribus ſubſeſſilibus, ſubgeminis.

Arbor in ſeptentrionali Africa ſponte nascens, in Italia, Gallia, Sicilia copioſe culta, etiam nostrum fert clima.

Nom. officin. AMYGDALAE DULCES et AMARAE.

Pars uſualis. *Nucleus.*

2. AMYGDALUS PERSICA (*a*).

Fo-

(*a*) Speciem hanc ab Amygdali genere ſejunctam ſervarunt, *Perſicae vulgaris* nomine, celeberrimi DE LAMARCK et DECANDOLLE. Vid. Synopſis plantarum in Flora gallica deſcriptarum, pag. 340. Pariſiis 1806. 8o.

Foliorum ſerraturis omnibus acutis, floribus ſeſſilibus, ſolitariis.

Arbor in Perſia ſponte nascens, in hortis culta.

Partes uſuales. *Flores, Perſicae* dicti.

VI. PRUNUS.

Calyx quinqueſidus, inferus. Petala quinque. Drupae nux laevis ſuturis prominulis.

1. PRUNUS LAURO-CERASUS (*a*).

Floribus racemoſis, foliis ſempervirentibus, dorſo biglanduloſis.

Frutex Europae meridionalis et Orientis, in hortis colitur.

Nom. officin. LAURO-CERASUS.

Partes uſuales. *Folia recentia.*

2. PRUNUS DOMESTICA.

Pedunculis ſubſolitariis, foliis lanceolato-ovatis, ſubtus ſubhirſutis, ramis muticis, patulis.

Arbor in hortis culta, et ſubinde apud nos ſpontanea.

Nom. officin. PRUNUS.

Pars uſualis. *Fructus ſiccatus.*

ICOS-

(*a*) Ad *Ceraſi* genus refertur in Synopſi plantarum mox cit. pag. 339.

ICOSANDRIA
PENTAGYNIA.

I. CYDONIA, Perſoon.

Calyx patens, ſerratus. Petala quinque. Pomum tomentoſum, loculis viſcoſis polyſpermis.

1. CYDONIA VULGARIS (*a*).

Foliis ovatis integerrimis, floribus ſolitariis.

Arbor Cretenſis, ubique fere culta.

Nom. officin. CYDONIA MALA.

Pars uſualis. *Semen.*

II. MESEMBRYANTHEMUM.

Calyx ovario adhaerens, perſiſtens, quinquefidus. Petala numeroſa, linearia, baſi cohaerentia. Capſula umbilicata, carnoſa, polyſperma.

1. MESEMBRYANTHEMUM CRYSTALLINUM.

Foliis alternis, ovatis, papuloſis, floribus ſeſſilibus, calycibus late ovatis, acutis, retuſis.

Plan-

(*a*) *Pyrus Cydonia* LINNAEI. Conf. Synopſis Plantarum ſeu Enchiridium botanicum, curante C. H. PERSOON. Part. II. pag. 40. Pariſiis Lutetiorum 1807. 8°.

Planta annua in Graecia prope Athenas.

Nom. officin. MESEMBRYANTHEMUM CRYSTALLINUM.

Pars uſualis. *Herba recens.*

ICOSANDRIA POLYGYNIA.

I. ROSA.

Calyx urceolatus, collo coarctatus, quinquefidus, laciniis duabus aut tribus foliaceo-appendiculatis. Petala quinque. Fructus e calyce demum pulpoſo conſtans. Semina plurima oſſea (*a*).

I. ROSA CENTIFOLIA.

Calycis urceolo oviformi pedunculisque hispidis, foliolis ellipticis, obtuſis, utrinque pubeſcentibus, ſimpli-

(*a*) TRATTINNICK ſequentem dat Roſae generis definitionem: Calyx urceolatus, receptaculum et germina in ſinu ſuo fovens, tandem quinquefidus. Petala quinque et ſtamina plurima disco faucis inſidentia. Styli faucem calycis penetrantes. Stigmata obtuſa. Fructus: Calyx cum receptaculo connato in polyſpermam baccam permutatus. Semina numeroſa, anguloſa. Conf. Roſacearum Monographia. Vol. I. Vindobonae 1823. 8o.

pliciter ferratis, petiolis villoſis, glanduloſis, ſubinermibus, caule hispido, aculeato.

Frutex in hortis nordvicenſibus frequentiſſimus.

Nom. officin. ROSA PALLIDA.

Partes uſuales. *Florum, nondum plene apertorum, petala recentia et ſicca.*

2. ROSA GALLICA.

Urceolis globoſis ovatisve, pedunculisque hirſuto-glanduloſis, caule et petiolis hispidis, aculeatis, foliolis rigidis, ovatis, ſubduplicato-ferratis, margine glanduloſis, ſubtus pubeſcentibus, laciniis calycinis alternatim pinnatifidis, rarius integerrimis, aculeis ramorum ſparſis ſubreflexis, ſuperioribus ſetaceis, floribus ſaturate purpureis.

Frutex Galliae auſtralis, in hortis nordvicenſibus creberrimus.

Nom. officin. ROSA RUBRA.

Partes uſuales. *Florum, nondum plene apertorum, petala recentia et ſicca.*

II. RUBUS.

Calyx patens quinquefidus. Petala quinque. Receptaculum breve, conicum, glabrum. Semina pulpoſa, in baccam compoſitam aggregata.

1. RUBUS IDAEUS.

Foliis quinato-pinnatis ternatisque, ſubtus incanis, caule aculeato ſuberecto, petiolis canaliculatis.

Frutex raro in Belgio ſpontaneus, in hortis copioſe cultus.

Nom. officin. RUBUS IDAEUS.

Pars uſualis. *Fructus recens.*

III. TORMENTILLA.

Calyx octofidus, laciniis quatuor alternis minoribus. Petala quatuor. Semina ſubrotunda, nuda, receptaculo parvo, exſucco affixa.

1. TORMENTILLA ERECTA.

Caule erectiuſculo, foliis ſeſſilibus.

Planta perennis, in locis arenoſis ſponte nascens.

Nom. officin. TORMENTILLA.

Pars uſualis. *Radix.*

IV. GEUM.

Calyx decemfidus, laciniis quinque alternis minoribus. Petala quinque. Receptaculum oblongum, hirſutum. Semina longe barbata, ſaepius geniculata, plumoſa vel apice hirſuta.

1. GEUM

1. GEUM URBANUM.

Floribus erectis, aristis uncinatis nudis, foliis caulinis ternatis, radicalibus lyrato-pinnatis.

Planta perennis, in Patriae locis ſiccioribus ſponte nascens.

Nom. officin. CARYOPHYLLATA.

Pars uſualis. *Radix.*

CLASSIS XIII.

POLYANDRIA MONOGYNIA.

I. CHELIDONIUM.

Calyx diphyllus. Corolla tetrapetala. Capſula unilocularis, linearis, bivalvis. Semina plurima cristata.

1. CHELIDONIUM MAJUS.

Pedunculis umbellatis, foliis pinnatiſectis, ſegmentis ſubrotundis, dentato-lobatis, petalis integris.

Planta perennis, in ruderibus et ad ſepes copioſiſſima, in hortis nordvicenſibus aliisque culta.

Nom. officin. CHELIDONIUM MAJUS.

Pars uſualis. *Herba recens.*

II. PAPAVER.

Calyx diphyllus. Corolla tetrapetala. Capſula oblonga, obovata aut ſubgloboſa, unilocularis, ſub ſtigmate perſiſtente valvulis brevibus dehiſcens.

1. PAPAVER RHOEAS.

Capſula glabra obovata, calyce piloſo, caule multiflоro, ſetis patentibus ſcabro, foliis pinnato-partitis, lobis elongatis, inciſo-dentatis, acutis.

Plan-

Planta annua, inter ſegetes frequentiſima, culta in hortis.

Nom. officin. PAPAVER ERRATICUM, RHOEAS.

Partes uſuales. *Florum petala.*

* PAPAVER DUBIUM.

Capſula oblongo-clavata glabra, calyce piloſo, caule multifloro, ſetis pedunculorum adpreſſis, foliis pinnatifidis, lobis inciſo-dentatis.

Planta annua inter ſegetes Europae ſeptentrionalis.

** PAPAVER ARGEMONE.

Capſula hispida, elongato-clavata, calyce glabriusculo, caule folioſo, multifloro, foliis bipinnatiſectis, lobis linearibus.

Planta annua in Europae campis arenoſis.

2. PAPAVER SOMNIFERUM.

Capſula obovata globoſa calyceque glabro, caule glabro glauco, foliis amplexicaulibus inciſo-repandis, dentibus ſubobtuſis.

Planta annua in agris Peloponneſi, in Aegypto, copioſe a nostratibus culta.

Nom. officin. PAPAVER ALBUM.

Partes uſuales. *Capita, Semen, Opium.*

III. TILIA.

Calyx quinquepartitus. Corolla pentapetala.

Capſula coriacea, globoſa, quinquelocularis, quadrivalvis, baſi dehiſcens, monoſperma.

1. TILIA EUROPAEA.

Floribus nectario proprio deſtitutis, foliis cordatis, glabris.

Arbor per totum Belgium frequens.

Nom. officin. TILIA.

Partes uſuales. *Flores.*

IV. CISTUS.

Calyx pentaphyllus, foliolis duobus externis inaequalibus, interdum nullis. Corolla pentapetala, caduca. Capſula calyce obtecta, decem-quinquelocularis, valvis decem-quinque, medio ſeptiferis.

1. CISTUS CRETICUS.

Arborescens, exſtipulatus, foliis ſpatulato-ovatis, tomentoſo-hirtis, in petiolum brevem attenuatis, margine undulatis, pedunculis brevibus, unifloris, foliolis calycinis villoſis.

Frutex, in Candiae collibus ſiccis et arenoſis crescens.

Pars uſualis. *Reſina*, quae *Ladanum Gummi*, ſeu *Labdanum* vocatur.

PO-

POLYANDRIA TRIGYNIA.

I. DELPHINIUM.

Calyx coloratus, deciduus, quinque-aut ſexpartitus, lacinia ſuperiore infra calcarata. Petala duo-quatuor, calcare calycino tecta. Capſulae erectae ſolitariae aut ternatae. Semina ſaepius ſubhirta.

1. DELPHINIUM STAPHISAGRIA.

Calcare breviſſimo, bracteolis ad baſin pedicelli inſertis, petiolis piloſis, pedicellis flore duplo longioribus.

Planta biennis Europae auſtralis.

Nom. officin. STAPHISAGRIA.

Pars uſualis. *Semen.*

II. ACONITUM.

Calyx nullus. Corolla irregularis, pentapetala, petalo ſuperiore casſidaeformi. Nectaria duo, cucullata, unguiculata. Capſulae leguminoſae ſubtres-quinque (*a*).

1. ACO-

(*a*) Vid. Monographia generis Aconiti, latine et germanice elaborata, auctore H. T. L. REICHENBACH. Vol. I. pag. 16. Lipſiae 1820. fol.

1. ACONITUM NEOMONTANUM (*a*).

Cuculli calcare adunco, obtuſo, labio lanceolato, revoluto, bifido, caſside convexa, foliis nitidis, digitato-quinquepartitis, laciniis lato-lanceolatis, breviſſime dentatis, pedunculis glabris.

Planta perennis in alpestribus ſylvaticis Carinthiae, Carnioliae, inque montoſis Germaniae.

Nom. officin. ACONITUM.

Pars uſualis. *Herba.*

* ACONITUM CAMMARUM.

Cuculli calcare adunco, obtuſo, labio lanceolato, recto, acute emarginato, caſside conica elongata, foliis opacis, quinquepartitis, laciniis oblongo-cuneiformibus, trifidis, dentatis.

Planta perennis in Hercynia et Auſtria frequens, colitur in hortis.

** ACO-

(*a*) Clariſſimus STÖRCK, prae ceteris *Aconiti* vires medicas magni faciens, ſtirpi ſuae *Napelli* nomen dedit. HALLERUS vero, quem in hisce GREN ſecutus est, hanc opinionem falſam habuit. GREN quippe putat, plantam, quae in Germania *Aconiti Napelli* nomine colitur, non aliam eſſe, quam *Aconitum neomontanum*, atque celeberrimum virum STÖRCK et Illustriſſimum JACQUIN, qui hanc plantam icone luſtravit, nomine, non ſpecie erraſſe. *Aconitum Napellus* STÖRCKII et JACQUINI itaque nulla est alia planta, quam hodiernorum *Aconitum neomontanum*. Confer. F. A. C. GREN Syſtem der Pharmacologie pag. 319. Halle 1798. 8o.

** ACONITUM NAPELLUS.

Cuculli calcare recto, obtuſo, labio lanceolato, adſcendente, bifido, casſide convexa, foliis nitidis, quinquepartitis, laciniis tripartitis, inciſis, linearibus.

Planta perennis in alpibus Helvetiae, inque Suecia et Sibiria.

POLYANDRIA TETRAGYNIA.

I. WINTERA, Forster.

Calyx aut integer, aut bi-tripartitus. Petala ſex-viginti quatuor, unica duplicive ſerie dispoſita. Filamenta apice crasſiora, antherae didymae, apice adnatae, loculis ſubdiscretis lateralibus, receptacula quatuor-octo congeſta, ſtigmate punctiformi terminata, baccae totidem uniloculares, polyſpermae.

1. WINTERA AROMATICA, Murray (*a*).

Foliis oblongis, obtuſis, ſubtus glaucis, pedunculis ſubſimplicibus, aggregatis, aut brevisſimis, in pedicellos elongatos diviſis.

Ar-

(*a*) Aliis *Drymis Winteri.* Conf. DECANDOLLE Regni vegetabilis ſyſtema naturale. Vol. I. pag. 443. Pariſiis 1818.

Arbor, ad fretum Terrae magellanicae habitans.

Pars uſualis. *Cortex winteranus* officinarum.

POLYANDRIA POLYGYNIA.

I. ILLICIUM.

Calyx hexaphyllus. Petala novem-triginta, interiora minora. Stamina ſex-quadraginta duo. Capſulae monoſpermae, bivalves, ſtellatae, ſuperne dehiſcentes.

1. ILLICIUM ANISATUM.

Petalis viginti ſeptem-triginta flaveſcentibus, exterioribus oblongis, interioribus lineari-ſubulatis.

Arbor Japonica.

Nom. officin. ANISUM STELLATUM.

Pars uſualis. *Fructus.*

II. ANEMONE.

Involucrum calycinum a flore diſtans, triphyllum foliolis ſimplicibus laciniatisve. Petala quinque ad novem. Semina plura, caudato-plumoſa aut mucronata.

1. ANEMONE PRATENSIS.

Foliis pinnatiſectis, ſegmentis multipartitis, lobis line-

linearibus, flore pendulo, petalis ſex erectis, apice reflexis.

Planta vernalis, crescens in campis apricis, ſterilibus Germaniae.

Nom. officin. PULSATILLA NIGRICANS.

Pars uſualis. *Herba florens.*

* ANEMONE PULSATILLA.

Foliis pinnatiſectis, ſegmentis multipartitis, lobis linearibus, flore ſubnutante, petalis ſex patentibus.

Planta perennis, in campis ſylvestribus exaridis, collibusque apricis Europae borealis ſponte nascens.

III. CLEMATIS.

Calyx nullus vel minimus, bilobus. Petala quatuor ad quinque. Stamina exteriora interdum ſponte abortiva et petaloidea. Semina plura, ſaepius caudato-plumoſa.

1. CLEMATIS ERECTA, Allioni.

Caule erecto, foliis pinnatiſectis, ſegmentis petiolulatis, ovato-lanceolatis integerrimis.

Planta perennis in collibus et dumetis Auſtriae, Hungariae, Valeſiae et alibi in Helvetia.

Nom. officin. FLAMMULA JOVIS.

Partes uſuales. *Folia, Flores.*

* CLE-

* CLEMATIS VITALBA.

Caule ſcandente, foliis pinnatiſectis, ſegmentis ovato-lanceolatis, dentato-inciſis, acuminatis, baſi truncato-cordatis, pedunculis folio ſubbrevioribus.

Frutex, in ſepibus habitans.

** CLEMATIS FLAMMULA.

Caule ſcandente, foliis pinnatiſectis, ſegmentis glabris, integris trilobisve, orbiculatis, ovalibus, oblongis ſublinearibusve, acutiuſculis.

Fruticulus, in Monſpelii inque Rhaetiae ſepibus.

IV. HELLEBORUS.

Calyx perſiſtens, pentaphyllus, foliolis ſubrotundis, obtuſis, magnis, ſaepe viridibus, petala octo-decem brevisſima tubulata, inferne anguſtiora nectarifera. Stigmata terminalia orbiculata. Capſulae coriaceae.

1. HELLEBORUS NIGER.

Foliis radicalibus pedatis, glaberrimis, ſcapo aphyllo, ſubbifloro, bracteato.

Planta perennis, alpina helvetica, et ſylvatica Belgii meridionalis.

Nom. officin. HELLEBORUS NIGER, MELAMPODIUM.

Pars uſualis. *Radix* (*a*).

* TROL-

(*a*) Certum est, radicem, quae in officinis proſtat, ex *Helleboro ni-*

* TROLLIUS.

Calyx coloratus, foliolis circiter quatuordecim deciduis. Petala quinque-viginti parva, basi tubulosa unilabiata. Capsulae multae sessiles, subcylindraceae, polyspermae.

1. TROLLIUS EUROPAEUS.

Foliolis calycinis quindecim in globum fere conniventibus, petalis quinque-decem, longitudine staminum.

Planta perennis in alpibus et subalpinis Sueciae, Germaniae, Angliae.

** ACTAEA (*a*).

Calyx tetraphyllus, deciduus. Corolla tetrapetala. Pericarpia polyspermа, sicca et dehiscen-

nigro colligi. Clarissimus autem DESFONTAINES putat, veteribus *Helleborum orientalem* fuisse in usu. Dicit enim in descriptione plantarum Corollarii Tournefortiani, „il paroit assez bien prouvé que la plante, que je viens de décrire, est le véritable Ellébore noir, que les medecins grecs et romains employoient autrefois avec un grand succès pour guèrir la manie, le mal caduc etc." Vid. Annales du Muséum d'histoire naturelle. VI année. IV Cahier. pag. 280. et seqq.

(*a*) Ad *Polyandriam Monogyniam* pertinet.

ſcentia, aut baccata et non dehiſcentia. Semina ſemiorbiculata.

1. ACTAEA SPICATA.

Racemo ovato, petalis ſtaminum longitudine, baccis ſubgloboſis, foliis duplicato-pinnatis, pinnula extrema triloba.

Planta perennis, habitat in nemoribus Europae.

*** ADONIS.

Calyx pentaphyllus. Petala quinque-quindecim ungue nudo. Semina numeroſa ovata, ſubmucronata.

1. ADONIS VERNALIS.

Foliis radicalibus infimisve abortivis, ad ſquamas ſubvaginantes reductis, mediis et ſummis ſeſſilibus, flore dodecapetalo, fructu ovato.

Planta perennis, in Oelandiae, Boruſſiae, Bohemiae, Germaniae, Helvetiae collibus apricis.

CLAS-

CLASSIS XIV.

DIDYNAMIA

GYMNOSPERMIA.

I. TEUCRIUM.

Calyx tubulosus, raro campanulatus, quinquefidus. Corolla tubo brevi labiata, labio superiore bipartito, laciniis ad latera reflexis, inferiore trilobo, lobo medio majore. Stamina intra fissuram labii superioris exserta. Semina laevia.

1. TEUCRIUM MARUM.

Foliis integerrimis, ovatis, acutis, petiolatis, subtus tomentosis, floribus racemosis, secundis.

Fruticulus Europae meridionalis et Orientis, in Syria et Hispania frequens.

Nom. officin. MARUM SYRIACUM.

Pars usualis. *Herba.*

2. TEUCRIUM CHAMAEDRYS.

Foliis cuneiformi-ovatis, incisis, crenatis, petiolatis, floribus ternis, caulibus procumbentibus, subpilosis.

Planta perennis, in hortis botanicis culta.

Nom. officin. CHAMAEDRYS.

Pars usualis. *Herba florens.*

3. TEUCRIUM SCORDIUM.

Foliis oblongis, ſesſilibus, dentatis, nudiusculis, floribus axillaribus, pedunculatis, geminis, caule diffuſo, pubescente.

Planta perennis, in hortis medicis culta.

Nom. officin. SCORDIUM.

Pars uſualis. *Herba.*

II. AJUGA.

Calyx quinquefidus, ſubaequalis. Corolla tubuloſa, labiata, labio ſuperiore minimo bidentato, inferiore trilobo, lobo medio magno obcordato. Semina reticulata.

1. AJUGA CHAMAEPITYS, Schreber (*a*).

Foliis trifidis, floribus axillaribus ſolitariis, folio brevioribus, caule diffuſo.

Planta annua, in montoſis regionum meridionalium locis et Belgii meridionalis ſylvis ſponte nascens.

Nom. officin. CHAMAEPITYS.

Pars uſualis. *Herba florens.*

III. SA-

(*a*) Est *Teucrium Chamaepitys* Linnaei. Vid. JOH. CHRIST. DAN. SCHREBERI Plantarum verticillatarum unilabiatarum Genera et Species. Lipſiae 1774. in 8o.

III. SATUREJA.

Corolla limbo quinquelobo ſubaequali. Stamina diſtantia.

1. SATUREJA HORTENSIS.

Pedunculis axillaribus biſloris, foliis lanceolatis, integerrimis, caule brachiato.

Planta annua, in inferiori Gallia et Italia ſponte nascens, nobis culta.

Nom. officin. SATUREJA.

Pars uſualis. *Herba.*

IV. HYSSOPUS.

Calyx ſubſtriatus, fauce nuda. Corollae labium ſuperius breve emarginatum, inferius trilobum, lobo intermedio majore obcordato crenulato. Stamina recta, diſtantia.

1. HYSSOPUS OFFICINALIS.

Floribus verticillatis, racemoſis, ſecundis, lacinia corollae intermedia biloba, integerrima, foliis linearilanceolatis.

Fruticulus ſpontaneus non admodum frequens, in hortis botanicis colitur.

Nom. officin. HYSSOPUS.

Pars uſualis. *Herba.*

V. NEPETA.

Calyx cylindricus, fauce nuda. Corollae tubus longus, faux patens, limbus bilabiatus, ſupra emarginatus, infra trilobus, lobis lateralibus breviſſimis reflexis, medio majore crenato concavo.

1. NEPETA CATARIA.

Floribus ſpicatis, verticillis ſubpedicellatis, foliis petiolatis, cordatis, dentato-ſerratis.

Planta perennis, in locis, ruderibus refertis, noſtrae Patriae.

Nom. officin. NEPETA.

Pars uſualis. *Herba.*

VI. LAVANDULA.

Calyx ovatus, intus nudus, bractea ſuffultus, ſubbilabiatus, ſuperius integer, inferius bilobus. Corolla reſupinata, tubo longo, limbo quinquelobo, ſubaequali. Stamina non exſerta.

1. LAVANDULA SPICA.

Foliis ſeſſilibus, lanceolato-linearibus, margine revolutis, ſpica interrupta, nuda.

Fruticulus Galliae meridionalis, in hortis medicis colitur.

Nom.

Nom. officin. LAVENDULA.

Partes uſuales. *Spicae florentes.*

VII. MENTHA.

Corolla calyce paulo longior, quadriloba, ſubaequalis, lobo ſuperiore latiore, ſaepius emarginato. Stamina erecta, diſtantia.

1. MENTHA CRISPA.

Spicis capitatis, foliis cordatis, dentatis, undulatis, crispis.

Planta perennis, origine ſibirica, in hortis culta.

Nom. officin. MENTHA CRISPA.

Pars uſualis. *Herba.*

2. MENTHA PIPERITA.

Spicis obtuſis, inferne interruptis, foliis petiolatis, ſubovatis, glabriusculis, calyce baſi glaberrimo.

Planta perennis anglicana et gallica.

Nom. officin. MENTHA PIPERITIS.

Pars uſualis. *Herba.*

* MENTHA VIRIDIS.

Foliis ſubpetiolatis, lanceolatis, acutis, nudis, bracteis ſetaceis, dentibusque calycinus ſubhirſutis.

Planta perennis Germaniae, Angliae, Galliae, Helvetiae.

3. MENTHA PULEGIUM.

Floribus verticillatis, foliis ovatis, caule prostrato, pedicellis calycibusque undique tomentosis, dentibus ciliatis.

Planta perennis, in locis humidis, culta in hortis medicis.

Nom. officin. PULEGIUM.

Pars usualis. *Herba florens.*

VIII. GLECHOMA.

Calyx striatus, cylindricus. Corolla calyce duplo longior, bilabiata, labio superiore bifido, inferiore trifido, lacinia intermedia majore emarginata. Antherae per paria in geminam crucem conniventes.

1. GLECHOMA HEDERACEA.

Foliis reniformibus, crenatis.

Planta perennis, ubique frequens et culta.

Nom. officin. HEDERA TERRESTRIS.

Pars usualis. *Herba.*

IX. MARRUBIUM.

Calyx cylindricus, decemstriatus, quinque-aut decemdentatus. Corolla calyce paulo longior, bi-

bilabiata, ſuperius angusta bifida, inferius trifida, lacinia media latiore emarginata.

1. MARRUBIUM VULGARE.

Caule erecto, foliis ſubrotundo-ovatis, dentatis, rugoſo-venoſis, calycinis dentibus decem ſetaceis, uncinatis.

Planta perennis in agris, ruderibus conſperſis, frequens, in hortis medicis culta.

Nom. officin. MARRUBIUM ALBUM.

Pars uſualis. *Herba.*

X. ORIGANUM.

Calyx varius, nunc quinquedentatus, nunc bilabiatus, aut bipartitus. Corolla tubo compreſſo, labiata, ſuperius erecta emarginata, inferius trifida ſubaequalis. Semina ſubrotunda.

1. ORIGANUM VULGARE.

Foliis ovatis, ſpicis ſubrotundis, paniculatis, conglomeratis, bracteis calyce longioribus, ovatis.

Planta perennis, per Patriam frequens.

Nom. officin. ORIGANUM.

Pars uſualis. *Herba florens.*

2. ORIGANUM MAJORANA.

Spicis ſubrotundis, ternis, compactis, pedunculatis,

tis, foliis petiolatis, ellipticis, obtusis, glabriusculis, radice annua.

Planta annua Europae meridionalis, in hortis culta nordvicensibus aliisque botanicis.

Nom. officin. MAJORANA.

Pars usualis. *Herba.*

XI. THYMUS.

Calyx striatus, fauce villis clausa, limbus labiatus, supra tridentatus, infra bisetus aut bifidus. Corolla brevis labiata, supra emarginata, infra triloba, lobo medio latiore integro aut emarginato.

1. THYMUS SERPYLLUM.

Floribus capitatis, caulibus repentibus, foliis planis, obtusis, basi ciliatis.

Fruticulus europaeus in locis aridis, apricis.

Nom. officin. SERPYLLUM.

Partes usuales. *Summitates florentes.*

2. THYMUS VULGARIS.

Erectus, suffruticosus, foliis revolutis, ovatis aut oblongis, floribus verticillato-spicatis.

In locis excelsis saxosis Hispaniae et Galliae inferioris creberrimus fruticulus, colitur in hortis.

Nom.

Nom. officin. THYMUS.

Pars uſualis. *Herba florens.*

XII. MELISSA.

Calyx aridus, apice patens, fauce nuda, bilabiatus, ſupra planus tridentatus, infra bilobus. Corolla tubo cylindrico, bilabiata, ſuperius fornicata, emarginata, inferius triloba, lobo medio obcordata.

1. MELISSA OFFICINALIS.

Verticillis dimidiatis, bracteis oblongis, pedicellatis, foliis ovatis, acutis, ſerratis, caule ramoſo.

Planta perennis Europae auſtralis, in hortis nordvicenſibus aliisque culta.

Nom. officin. MELISSA.

Pars uſualis. *Herba.*

XIII. OCYMUM.

Calyx labiatus, ſupra latior orbiculatus, infra quadrifidus. Corolla reſupinata, tubo brevi, bilabiata, labio altero longiore, indiviſo, crenato, altero quadrilobo. Filamenta declinata, duo breviora, baſi appendiculata.

1. OCYMUM BASILICUM.

Foliis ovatis obtuſis, planis, glabris, calycibus ciliatis.

Plan-

Planta Indiae indigena, annua, in hortis frequenter apud nos culta.

Nom. officin. BASILICUM.

Pars uſualis. *Herba.*

DIDYNAMIA ANGIOSPERMIA.

I. DIGITALIS.

Calyx quinquepartitus, inaequalis. Corolla campanulata, limbo oblique quadrilobo inaequali. Stigma ſimplex aut bilamellatum. Capſula ovata, acuminata.

1. DIGITALIS PURPUREA.

Calycinis foliolis ovatis, acutis, corollis obtuſis, labio ſuperiore integro.

Planta biennis ſylvestris, in hortis culta.

Nom. officin. DIGITALIS.

Partes uſuales. *Folia.*

CLAS-

CLASSIS XV.

TETRADYNAMIA SILICULOSA.

I. COCHLEARIA.

Calyx aequalis, foliolis concavis. Petala patentia. Stylus brevis. Silicula integra, globulosa aut ovata, valvis gibbis, obtusis, loculis mono-dispermis.

1. COCHLEARIA OFFICINALIS.

Foliis radicalibus cordato-subrotundis, caulinis oblongis subsinuatis, siliculis globosis.

Planta annua, in aggeribus, collibusque maritimis frequens, nostratibus culta.

Nom. officin. COCHLEARIA.

Pars usualis. *Herba recens.*

2. COCHLEARIA ARMORACIA.

Foliis radicalibus lanceolatis, crenatis, caulinis incisis.

Planta perennis, in hortis culta.

Nom. officin. ARMORACIA, RAPHANUS RUSTICANUS.

Pars usualis. *Radix recens.*

II. LEPIDIUM.

Silicula ovata aut ſubcordata, valvulis carinatis, aut rarius ventricoſis, dehiscentibus, loculis monoſpermis.

1. LEPIDIUM SATIVUM.

Siliculis orbiculatis, alatis, foliis varie diviſis, inciſisque, ramis non ſpinescentibus.

Planta annua in Perſia et inſula Cypro, in hortis culta.

Nom. officin. NASTURTIUM HORTENSE.

Pars uſualis. *Herba recens.*

TETRADYNAMIA SILIQUOSA.

I. SINAPIS.

Calyx patentisſimus. Discus germinis quadriglanduloſus. Siliqua apice roſtrata.

1. SINAPIS NIGRA.

Siliquis glabris, racemis appreſſis, foliis glabris.

Planta annua in agris et ruderatis.

Nom. officin. SINAPI.

Pars uſualis. *Semen.*

II. BRAS-

II. BRASSICA.

Calyx connivens, baſi gibboſus. Discus germinis quadriglanduloſus. Siliqua teres, compreſsa, cylindrica aut tetragona, ſemina ſphaerica.

1. BRASSICA OLERACEA, *var.* RUBRA.

Radice caulescente carnoſa, tereti, foliis omnibus glabris, glaucis, repandis, lobatisve.

Planta biennis in maritimis Angliae, in hortis culta.

Nom. officin. BRASSICA RUBRA.

Partes uſuales. *Capita.*

III. SISYMBRIUM.

Calyx patens aut clauſus. Petala patentia, ungue brevi. Stigma globoſum. Siliqua longa, teres, valvis rectis, non elasticis.

1. SISYMBRIUM OFFICINALE, Curtis (*a*).

Foliis runcinatis, lobis rectangulis, acutis, terminali maximo, ſpicis virgatis, ſiliquis ſpicae appreſsis.

Planta annua, in ruderatis et ad vias creberrima.

Nom. officin. ERYSIMUM (*b*).

Pars uſualis. *Herba recens.*

IV. NA-

(*a*) *Eryſimum officinale* LINNAEI.

(*b*) Pharmacopoeae Belgicae ſcriptores, LINNAEUM ſequentes, hoc medicamen ab *Eryſimo officinali* derivarunt. At vero ab hoc genere ſiliquis differt teretibus, quae in *Eryſimo* ſunt tetragonae.

IV. NASTURTIUM (*a*).

Siliqua teretiuscula, abbreviata aut declinata. Stigma ſubbilobum. Calyx baſi aequalis, patens. Semina parva, irregulariter biſerialia, emarginata.

1. NASTURTIUM OFFICINALE, Aiton (*b*).

Foliis pinnatis, foliolis ovatis, ſubcordatis, repandis, pedicello ſubbrevioribus.

Planta biennis ad foſſas et rivulos indigena, per totam hyemem virens.

Nom. officin. NASTURTIUM AQUATICUM.

Pars uſualis. *Herba recens.*

CLAS-

(*a*) Conf. DECANDOLLE in Regni vegetabilis Syſtemate naturali. pag. 187. Vol. II. Pariſiis 1821. et in Prodromo ſyſtematis naturalis Regni vegetabilis Part. I. pag. 137. Pariſiis 1824. 8o.

(*b*) *Siſymbrium Naſturtium* LINNAEI.

CLASSIS XVI.

MONADELPHIA

TRIANDRIA.

I. TAMARINDUS.

Calyx quadripartitus, basi turbinatus. Petala tria adscendentia. Filamenta basi tantum coalita, tria longiora fertilia, quatuor minima sterilia, fertilibus interposita, duo setiformia sterilia, priorum vaginae extus opposita. Legumen pulpa repletum.

1. TAMARINDUS INDICA.

Foliis multijugis, floribus racemosis, terminalibus.

Arbor Arabiae et Indiae orientalis.

Nom. officin. TAMARINDUS.

Pars usualis. *Fructus.*

MONADELPHIA

POLYANDRIA.

I. ALTHAEA.

Calyx duplex, exterior sex-vel novemfidus. Capsulae plurimae, monospermae, in orbem dispositae.

1. ALTHAEA OFFICINALIS.

Foliis tomentoſis, oblongo-ovatis, obſolete trilobis, dentatis, pedunculis axillaribus multifloris, folio multo brevioribus.

Planta perennis, ſolo argillaceo humido ſponte crescens. Colitur in hortis nordvicenſibus, aliisque botanicis.

Nom. officin. ALTHAEA.

Partes uſuales. *Radix, Folia, Flores.*

II. MALVA.

Calyx duplex, exterior triphyllus, rarius penta-hexaphyllus, bracteolis oblongis, ſetaceisve. Capſulae plurimae, monoſpermae, in orbem dispoſitae.

1. MALVA ROTUNDIFOLIA.

Caule prostrato, foliis cordato-orbiculatis, obſolete quinquelobis, pedunculis fructiferis declinatis, petiolisque pubescentibus, corollis calyce duplo majoribus.

Planta annua, in hortis culta medicis.

2. MALVA SYLVESTRIS.

Caule erecto, herbaceo, foliis ſeptemlobatis, acutis, pedunculis petiolisque piloſis.

Planta annua, in hortis culta.

Nom. officin. MALVA.

Partes uſuales. *Folia, Flores.*

CLAS-

CLASSIS XVII.

DIADELPHIA HEXANDRIA.

I. FUMARIA.

Calyx diphyllus, deciduus. Corolla irregularis, baſi calcarata. Filamenta duo, ſingula antheris tribus. Capſula monolocularis, evalvis, monoſperma. Semen parieti affixum.

I. FUMARIA OFFICINALIS.

Caule ramoſo, diffuſo, ſiliquis globoſis, retuſis, foliis ſupradecompoſitis, foliolis cuneiformi-lanceolatis, inciſis.

Planta annua, frequens.

Nom. officin. FUMARIA.

Pars uſualis. *Herba recens.*

DIADELPHIA OCTANDRIA.

I. POLYGALA.

Calyx pentaphyllus, foliolis duobus alaeformibus, coloratis. Capſula obcordata, biloculari, bivalvis.

1. POLYGALA AMARA.

Floribus cristatis, racemosis, alis calycinis trinerviis, obtusis, corolla longioribus, caulibus erectiusculis, foliis obtusis, radicalibus obovatis.

Planta perennis montana Germaniae et Galliae meridionalis.

Nom. officin. POLYGALA AMARA.

Pars usualis. *Radix.*

2. POLYGALA SENEGA.

Floribus imberbibus, spica terminali, filiformi, caulo erecto, herbaceo, simplicissimo, foliis oblongo-lanceolatis.

Planta perennis Virginiae et Pensylvaniae.

Nom. officin. SENEGA.

Pars usualis. *Radix.*

DIADELPHIA DECANDRIA.

1. SPARTIUM.

Calyx deorsum productus. Carina quibusdam pendula. Filamenta germini adhaerentia. Stigma longitudinale, supra villosum. Legumen oblongum, mono-aut polyspermum.

1. SPAR-

1. SPARTIUM SCOPARIUM.

Foliis ternatis, ſolitariisque, oblongis, floribus axillaribus, leguminibus margine piloſis, ramis angulatis.

Fruticulus, in locis arenoſis et elatis ſponte nascens.

Nom. officin. GENISTA.

Partes uſuales. *Summitates.*

II. GEOFFROYA.

Calyx campanulatus, ſemiquinquefidus, ſubbilabiatus. Alae et carina ſubaequales, vexillum majus. Drupa ovoidea, utrinque ſulco notata. Nux bivalvis monoſperma.

1. GEOFFROYA SURINAMENSIS, Bondt.

Inermis, foliolis oblongis, obtuſis, emarginatis.

Frutex ſurinamenſis.

Nom. officin. GEOFFROYA SURINAMENSIS.

Pars uſualis. *Cortex.*

2. GEOFFROYA INERMIS, Swartz (*a*).

Inermis, foliis ovato-lanceolatis.

Frutex, in Jamaica et Martinica ſponte crescens.

Nom. officin. GEOFFROYA JAMAICENSIS.

Pars uſualis. *Cortex.*

III. GLY-

(*a*) Aliorum *Geoffroya jamaicenſis.*

III. GLYCYRRHIZA.

Calyx tubulosus, bilabiatus, labium superius tri-aut quadripartitum, labium inferius simplicissimum. Carina dipetala. Legumen ovatum, subcompressum, hispidum, tri-hexaspermum.

1. GLYCYRRHIZA GLABRA.

Leguminibus glabris, floribus racemosis, stipulis nullis, foliolis ovatis, subretusis, subtus subglutinosis.

Planta perennis, in Europa meridionali frequens.

2. GLYCYRRHIZA ECHINATA.

Leguminibus echinatis, floribus capitatis, stipulis lanceolatis, foliolis glabris, oblongis, mucronatis.

Planta perennis Russiae meridionalis.

Nom. officin. GLYCYRRHIZA, LIQUIRITIA.

Partes usuales. *Radix*, *Succus*, sive *Extractum*.

IV. ASTRAGALUS.

Calyx quinquedentatus. Carina obtusa. Legumen biloculare aut subbiloculare, futura inferiore introflexa.

1. ASTRAGALUS CRETICUS, Willdenow (*a*).

Fru-

(*a*) *Astragalus Tragacantha* olim perverse habebatur planta, ex qua gummi fluit, in officinis Tragacanthae nomine insignitum. Ex solo *Astragalo cretico* legitur gummi Tragacanthae album. Re-

li-

Frutescens, petiolis spinescentibus, foliis tri-quadrijugisve, foliolis lanceolatis, incanis, floribus axillaribus sessilibus, solitariis, calyce lanato.

Frutex in Creta ad montem Ida.

Pars usualis. *Tragacantha gummi.*

V. MELILOTUS, Lamarck (*a*).

Calyx tubulosus aut campanulatus, quinquedentatus. Carina simplex, alis vexilloque brevior. Legumen calyce longius. Flores laxe racemosi.

1. MELILOTUS OFFICINALIS (*b*).

Leguminibus racemosis pendulis, subrugosis, acutis, compressis, dispermis, foliolis ovato-oblongis, dentatis, caule erecto.

Planta biennis, per Patriam frequens.

Nom.

liquae species, excepto *Astragalo gummifero*, qui gummi flavescens minoris pretii fundit, nullo scatent succo gummoso. Conf. WILLDENOW species plantarum. Tom. III. P. II. pag. 1330 et 1331.

(*a*) *Melilotum* a *Trifolii* genere separandam judicavi, licet ante quadriennium in Pharmacopoeae Belgicae concinnatione aliter fuerit visum.

(*b*) Est *Trifolium Melilotus officinalis* LINNAEI, aliis *Trifolium officinale.*

Nom. officin. MELILOTUS.

Partes uſuales. *Summitates florentes.*

VI. TRIGONELLA.

Calyx campanulatus, quinquefidus. Carina minima, alae vexillumque ſubpatentes, corollam tripetalam mentientes. Legumen oblongum, compreſſum vel cylindricum, acuminatum, erectiusculum, polyſpermum.

1. TRIGONELLA FOENUM GRAECUM.

Leguminibus ſeſſilibus, ſolitariis, ſtrictis, erectiuſculis, ſubfalcatis, acuminatis, caule erecto.

Planta in Europa meridionali annua.

Nom. officin. FOENUM GRAECUM.

Pars uſualis. *Semen.*

CLAS-

CLASSIS XVIII.

POLYADELPHIA DECANDRIA.

I. THEOBROMA.

Calyx pentaphyllus. Petala quinque, fornicata. Nectarium urceolatum, exſerens quinque cornicula. Filamenta quinque, quodlibet antheris duabus inſtructum. Stylus filiformis. Stigma quinquepartitum. Capſula quinquelocularis, evalvis. Semina, in pulpa butyracea nidulantia.

1. THEOBROMA CACAO.

Foliis integerrimis, ovato-oblongis, acuminatis, utrinque glaberrimis, concoloribus.

Arbor Americae calidioris indigena.

Nom. officin. CACAO.

Pars uſualis. *Fructus.*

POLYADELPHIA ICOSANDRIA.

I. CITRUS.

Calyx quinquefidus. Petala quinque, oblonga. Filamenta connata in varia corpora. Bacca corticoſa novem-octodecemlocularis, pulpa molli.

1. CITRUS MEDICA.

Petiolis linearibus, foliis ovatis, acuminatis.

Arbor Europae auſtralis indigena.

Nom. officin. CITRUS.

Partes uſuales. *Fructus, horumque corticis pars exterior recens et ſicca.*

2. CITRUS AURANTIUM.

Petiolis alatis, foliis ovato-lanceolatis, acuminatis.

Arbor in Europa meridionali et in Oriente frequens, apud nos in hybernaculis culta.

Nom. officin. AURANTIUM CURASSAVICUM et HISPALENSE.

Partes uſuales. *Folia et flores, nondum aperti, recentes, fructus immaturi, fructus corticis exterior pars ſiccata, vel recens, flavedo.*

II. MELALEUCA.

Calyx quinquepartitus, ſemiſuperus. Corolla pentapetala. Filamenta multa, connata in quinque corpora. Stylus unicus. Capſula infra ſemivestita, trilocularis. Semina immatura lineari-paleacea, matura ſaepius alata.

1. MELALEUCA LEUCADENDRON (*a*).

Fo-

(*a*) Pharmacopoeae Belgicae ſcriptores, indefeſſos rei herbariae cultores MATON et SMITH ſequentes, verum *Olei Cajeput* genitri-

cem

Foliis alternis, lanceolatis, acuminatis, falcato-obliquis, quinquenerviis, ramulis petiolisque glabris.

Arbor insularum Amboinae et Bouro, frequens in locis siccis aridis.

Pars usualis. *Oleum Cajeput.*

POLYADELPHIA POLYANDRIA.

I. HYPERICUM.

Calyx quinquepartitus laciniis subovatis, aequalibus. Petala quinque. Filamenta multa, in quinque phalanges basi connata. Capsula subrotunda, loculis numero stylorum. (Styli 1-2-3-5.)

I. HYcem salutarunt *Melaleucae* speciem, eo tempore nondum botanice descriptam et a viris praestantissimis *Melaleucae Cajuputi* nomine insignitam. RUMPHIUS hanc arborem delineavit in Volumine secundo Horti Amboinensis, Tabula decima septima. Clarissimus vero REINWARDT in ipsa Amboinae insula ex *Melaleucae Leucadendri* foliis omnibus notis bonum destillavit *Oleum Cajeput*, a venali colore subflavescente solummodo distinctum: quod apparatui stanneo, in quo destillationem instituerat, adscribendum esse, rite judicat. Etenim qui vasis cupreis destillationem promovent, oleum viride elicere videntur. Si itaque *Melaleuca Cajuputi* vere differt a *Melaleuca Leucadendro*, binas has species *Oleum Cajeput* praebere, non est, quod dubitemus.

1. HYPERICUM PERFORATUM.

Floribus trigynis, caule ancipiti, foliis obtusis, pellucido-punctatis, foliolis calycinis lanceolatis.

Planta perennis, ad vias et agrorum margines sponte nascens, colitur in hortis.

